



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsqve Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

C.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

A D D I T I O.

Blasphemia intetdum est cum hæresi, & tunc blasphemans est hæreticus. Publicam blasphemiam gravissimè puniunt Canones Leg *Tolet*. Blasphemantur etiam Sancti, & ipsa Sanctorum Regina, Dei Mater Virgo Maria. Hoc facientes mortiferè peccant, & Canonum poenis sunt subiecti.

Imprecari malum homini ex animo lethalis noxa est, exterius tantum venialis.

Maledicere creaturis etiam ratione carentibus, eâ mente, quia sunt Dei, mortalis blasphemia est; maledicere, quia sunt alicujus hominis, ex animo, idem crimen est; maledicere autem irrationabilibus, secundum se, venialis culpa: maledicere, ratione mali illati, actus licitus.

Inhonorare Deum, vel Sanctos, imagines sacras pedibus terere, sacras Reliquias spernere, actus injuriosos in Deum agere, impietatis crimen est, cui si error intellectus accedat, hæresis est.

Blasphemo membra quædam divinitus reserata narrat Niceph. Callist. *lib. 18. cap. 33. Hist. Eccl.* De blasphemia, & blasphemorum poena Petr. Gregor. Tholos. *lib. 33. cap. 12. Syn-tagm. ur. juram.*

C.

Cambium.

1. **D**E *cambium* intellige contractum quo pecunia pro pecunia permutatur. Duplex est, reale seu verum, quo una pecunia reverà cum alia commutatur; & siccum, quod non est verum cambium, sed fingitur & simulatur cambium, & est mutuuum sub imagine cambij realis; ut accidit, quando campfor pecuniam tradit campfario solvendam in eodem loco, in quo eam tradit, confectis litteris ad locum distantem, ad quem reverà litteræ non mittuntur, vel si mittuntur, nihil operantur, ac si non mitterentur, eò quòd campfor sciat campfarium non habere pecuniam actu aut potestate in eo loco ad quem litteræ mittuntur: & hujusmodi cambium siccum illicitum est & usurarium, cum in eo accipiatur lucrum ob mutuuum. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. qu. 5. punct. 1. & 2.*

E 4

2. *Aut*

2. Rursus cambium reale duplex est: minutum, & locale, seu per litteras. Cambium minutum, est contractus, quo minora numismata permutantur cum maioribus, aut majora cum minoribus; & hoc non est illicitum vel usurarium, quia non accipitur lucrum ob mutuum. Sed ob has causas, nimirum propter officium cambiendi, lucrum cessans, quod campfor aliàs recepisset, si pecuniam ad cambium non dedisset, ob laborem numerandi, qui est pretio æstimabilis, maxime si magna pecuniæ quantitas cambienda est, ob expendibilitatem seu commoditatem unius monetæ in numerando, ob antiquitatem monetæ, quæ pluris æstimari solet, quàm nova, *Ibid. n. 3.*

3. Qui pecuniam adulterinam exigit scienter, vel ex inadvertentia & ignorantia, non potest illam expendere, cum sit vitiosa; res autem vitiosa, saltem notabiliter, non potest alteri tradi vitio non detecto. *Ibid. n. 4.*

4. Famulus vel procurator, qui à suo domino accepit pecunias aureas vel argenteas, ad solvendum creditoribus, vel ad emendas res necessarias, si eas permutet cum vilioribus, aut det ad cambium, potest lucrum inde acceptum sibi retinere, cum huiusmodi lucrum sit fructus industriæ suæ factæ periculo & industriâ illius: limita tamen modò dominus pecuniæ nullum ob huiusmodi commutationem vel negotiationem damnum patiatur. *Ibid. n. 5.*

5. Non est usurarium vel illicitum cambium locale reale, seu per litteras, quo campfor accipit hic Mediolani pecuniam cum certo lucro, ut eam alibi solvat; ut si hic Lugdunà me accipiat centum & quinque, ut mihi in Flandria solvat centum. Idem dicendum de cambio reali locali, quo campfor dat pecuniam hic Mediolani campfario, ut eam alibi recipiat cum certo lucro: ut si det mihi centum Parisiis, recepturus Romæ centum, & aliquid supra centum, *Ibid. num. 6. & 7.*

6. Cambium reale per litteras cum recambio, quo litteræ mittuntur ad locum præfixum; ex. gr. Placentiam, ibique sortiuntur effectum; deinde Placentiæ conscribuntur aliæ litteræ, quibus pecunia Mediolanum recambitur, non videtur usurarium, vel contra justitiam; cum non sit mutuum, nec cambium siccum, sed reale, in quo pecunia præsens permutatur cum absente. Ad cambium reale ex constitutione Pii V. requiritur, ut campfarius litteras scribat, quæ mittantur,

tur,

tur, & non referantur inanes, nec contrahentes confingant celebrare cambia ad proximas nundinas, vel ad alia loca, ut non fiat pactum de certo & determinato interesse lucri cessantis, vel damni emergentis solvendo à campfario, si non solvat tempore constituto; quamquam hoc lucrum & interesse exigi potest, postquam campfarius fuerit in mora solvendi debito tempore; nihilominus Summus Pontifex non vult hoc deduci in pactum; ut campfor non protrahat terminum solutionis ob pactum recipiendi lucrum; ut non detur ad cambia nisi pro nundinis proximis, vel pro terminis proximis, juxta consuetudinem & usum locorum; aut si detur pro secundis aut tertiis nundinis, non ob id plus exigatur, quam exigeretur, si pecunia daretur ad proximas tantum nundinas, ut non statuantur termini ad solvendum longiores, quam postulet distantia locorum. *Ibid. n. 8. & 9.*

7. Non videtur damnandum cambium, quo quis alteri tradit pecuniam sibi solvendam alio loco, quam ubi fiunt nundinae, cum eo lucro, quod solvitur ad proximas nundinas; modo tamen tanta sit distantia, quanta est inter locum in quo nundinae celebrantur, & campfor nesciat, aut probabiliter non credat pecuniam plus valere in eo loco, ubi solutio sibi facienda est, quam valeat in nundinis. alioquin videretur excedere in pretio; quod pretium, seu valor cambij potest augeri, vel minui propter majorem vel minorem pecuniae aestimationem, quae oritur ex copia vel inopia pecuniae; aut ex multitudine vel paucitate cambientium & campfariorum. *Ibid. n. 13. & seqs.*

8. Licitum est uni cambientium, ei nimirum, qui ab altero praeventur, recipere mercedem cambij ab altero, quando uterque ex eo cambio reportat aequale commodum, & onus. *Ibid. num. 25.*

A D D I T I O.

Permutari potest pecunia cum altera diversi metalli cum lucro moderato.

De cambiis multa Molin. Lop. Mercat. Nav. Garz. à c. 30. & alii multi, Cor. p. 4 Joan. Medin. de restit. Bannes in 2. 2. q. 78. art. un. Sylv. usura q. 6. 7. Cajet.

Aureus, cujus pretium aestimatur undecim Julis, potest dari pro duodecim: est enim illa pretii taxatio facta ad emptiones, non permutationes.

Sot. *l. c. Tol. s. e. 1. n. 7.*

Plus valet pecunia præsens loco, quàm absens; item cum multi accipiunt ad cambium, & pauci dant: item ob metallum, figuram, pondus, temporis occasionem, dubium de valoris mutatione, raritatem, aut dantis incommodum, quæ considerari oportet, ne faciliè cambia, quæ sunt in usu, damnentur.

Tol. *l. c. c. 54. n. 2 Nav. l. c. n. 194.*

In cambio lucrari solet, qui rogatur pecuniam accipere alibi reddendam, vel dari alibi recipiendam; illic enim velut transfert ad locum ubi reddenda, hic autem velut à loco ubi recipienda.

Tol. *l. c. c. 53. num. 6.*

Cambio lucrari etiam ei licet, qui alioqui non habet ordinarium campforis officium, sed ex occasione oblata facit.

Tol. *l. c. c. 51. n. 9. ex Sot.*

Etiam in eodem regno licet cambium, per litteras, et si id lex aliqua prohibeat: præsumit enim fraudem, quæ si absit, non intendit prohibere. Idemque dicendum de cambis omnibus alioqui licitis, aut cambiorum licitis conditionibus, si lege aliquâ prohibeantur: cessante enim fraude, quam lex præsumit, fieri possunt, nisi ex ipsa lege, vel consuetudine constet oppositum.

Nav. *l. c. n. 290.*

Cambium quod fit sustinente campforio procuratore duas personas in nudinis, scilicet creditoris & debitoris, quod vulgò dicitur, *Colla vi corso*, est à Pio approbatum, in Bulla quadam data ad Bononienses.

Cambium est permutatio negotiationis, numisima pro numismate. Triplex est permutatio. Prima, quæ res rebus permutantur. Secunda, quæ res pecuniâ permutantur. Tertia, quæ numisima, numismatis. Permutatio nummorum negatoria cum spe lucri, cambium dicitur, cujus species sunt quatuor.

Prima, cambium minutum, cum majores pecuniæ promiõribus, vel minores pro majoribus dantur cum lucro aliquo

Secunda, cambium siccum, cum campfor dat alicui pecunias, ut eas cum lucro in eodem loco, post aliquod tempus restituat, prout valebunt in loco aliquo remoto, tempore solutionis.

Tertis,

Tertia, cambium per litteras, cum quis dat campfori pecunias, ut eas in alio loco verè accipiat, prout ibi, statuto tempore, valebunt, à campforis socio.

Quarta, cambium reale, cum campfor dat pecunias alicui in uno loco, ut eas in alio loco restituat.

Numisma, quod consideratur ratione materiæ, & ratione formæ, duplicem habet valorem, alterum ratione materiæ, alterum ratione formæ. Pecuniæ, ut ralls, duplex est usus, 1. ut sit rerum pretium, 2. ut ea fiat permutatio. Cambium in permutatione consistit.

2. Pecunia, ratione materiæ considerata potest locari, permutari, emi, vendi, eo modo, quo posset, si nullo insignita esset numismatis caractere: & quia non consideratur ut rerum pretium, potest aliquando pluris vendi, quàm sit legalis valor: augetur enim pretium, si materia talis pecuniæ sit purior, si rara, si prædita qualitate aliquâ pecuniâ æstimabili, si vendenti chara, & ob emptoris importunitatem vendatur, aliisque de causis.

Pecunia considerata ut rerum pretium, non potest pluris vendi, quàm sit legalis valor. Si verò ad usum permutationis consideretur, potest aliquid accipi ultra valorem, ratione permutationis. Ut hoc iuste fiat, debet abesse falsitas, fraus, ac intercedere iustum pretium.

De iustitia cambij sicc.

Hoc cambium quatuor modis fit. 1. Cum campfor alicui petenti tot nummos dat, ea lege, ut intra certum tempus, solvat juxta valorem, quo statò tempore Venetiis, Florentiæ, aut alibi in mundinis valebunt, si incertum sit, pluris, minorisve pecuniam valituram tempore solutionis, contractus est licitus: at verò, ut modò in usu est, censetur usurarius, & injustus, campfor enim non dat pecuniam, nisi probabiliter certus sit, ea in pluris valituram, & sic lethalis est contractus ad restitutionem obligans. 2. Cum quis à campfore centum nummos petit, campfor autem non vult dare, nisi is accipiat pro Sicilia, aut alio loco remoto, & solvat pretium, quod dari solet pro ejusmodi locis, & nummi sunt reddendi ibi, ubi campfor eos dat. Hoc cambium est usurarium, nisi militet ratio lucri cessantis. 3. Cum campfor dat Petro centum Venetiis solvenda, ubi correspondentes non habet, nec

Petrus

Petrus habet ibi unde solvat, & lucrum dat. Tempore solutionis Petrus fingit se non habere Venetiis, & ea centum cambit iterum cum lucro Romam, ubi accipit centum, & Romæ centum, & lucra cambij & recambij solvit. Hic duæ sunt usuræ cambij, & recambij. Quarta species vocatur aulicorum cambium, & Romæ in usu est, de quo lege Tolentum.

Pecuniæ pretium variari potest, ratione legis, materiæ, majoris, aut minoris ponderis, copiæ, aut inopiæ nummorum. Crescit aliquando pretium, vel ob monopolium, vel quando campsores fingunt, se pecuniis indigere, cum tamen non indigeant, in utroque est fraus, & iniustitia.

Differt mutuum à cambio; numquam licet dare mutuas pecunias, ubi minus ut recipiantur, ubi plus valent: at libet cambire pecunias, hic minus valentes, cum pecuniis alibi plus valentibus, cambium enim est permutatio.

Pretium in cambiis mensuratur, vel per legem ubi extat, lex, vel per consuetudinem, ubi lex non extat, vel arbitrio boni viri: ubi utraque desiderantur, accipit campsor pretium in cambio per litteras, ob pecuniæ transmissionem, in reali, quia præsentem pecunias dat, pro absentibus, in utroque ob periculum, expensas, labores, obligationem.

In hoc, & in sequenti cambio non licet campfiori accipere majus pretium, pro majore temporis mora, nec danti id dari: est enim virtualis usura, ratione dilationis temporis, pure, plus accipere.

Cambium reale, cum campsor dat mercatori pecunias alibi solvendas, pretio accepto pro commutatione, licitum est, si pretium sit licitum, & nihil accipiatur ratione moræ.

Quæres: An cambium sit licitum, ratione temporis? Omnes DD. conveniunt, si hoc cambium fiat per modum locationis, vel commodati, ut cui à campfore dantur pecuniæ accommodatæ, ad ostentationem, semper licitum esse cambium. Dubium autem est, an liceat per modum mutui, hoc est, an liceat campfiori aliquid accipere, ultra sortem pro pecunia, quam dedit alio tempore reddendam. Cajetan. & Soto *l.c.* dicunt, nec publicis, nec privatis campforibus id licere. Navar. putat, id saltem licere publicis. Durand. verò *in 4. d. 37. qu. 2.* & Med. *l.c.* putant, utrisque, & publicis & privatis licere. At respondendum puto, certum esse non licere aliquid accipere ratione solius temporis, formaliter, quo
solucio

Solutio expectatur, ut docent omnes; quia aperte est usura, & eò major, quò plus accipitur publicis campforibus, quò diutius differtur solutio. Resp. 2. Certum esse, licere aliquid accipere publicis campforibus, ratione obligationis, laborum, expensarum; ergo etiam in hoc cambio, & ratione lucri cessantis, damni emergentis: nam hæc omnia sunt pretio æstimabilia. Et confirmatur: Quia campfores in cambio minuto possunt aliquid accipere ratione officii, & laboris; ergo etiam in hoc cambio. Resp. 3. etiam privatis campforibus saltem in foro conscientiæ licitum esse aliquid accipere propter labores, &c. licet hoc officium privatis hominibus non facile sit permittendum, tum propter scandalum, tum propter abusus facile obrepentes. Objicit Soto, quando opus ex se est illicitum, tunc labores ad illud exequendum suscepti, non mercede, sed pœnâ digni sunt: sed ratione temporis aliquid accipere, est opus usurarum, ergo ob labores non est aliquid accipiendum. Resp. A campforibus non suscipi labores, ut aliquid accipiant ultra sortem ratione temporis, vel expectationis solutionis, sed ut possint aliis beneficium cambij impendere commodius.

Quæres: An campfores pro suo arbitrio possint pretium pecuniarum à magistratu taxatum mutare in cambiis. *Sot. lib. 6. Cajet. opusc. de camb. c. 6. Nav. 18. manu. putant posse, Med. qu. 2. de camb. Conrad. q. 99. de contract. Greg. disp. 5. q. 23. p. 2. putant non posse.* 1. Quia in omnibus aliis rebus, quæ habent pretium taxatum, non potest ab hominibus mutari pretium, ergo nec à campforibus. 2. Mercatores non possunt mutare pretium pecuniarum in eadem civitate, vel loco; ergo nec possunt ratione diversorum locorum; nam si ratione diversorum locorum possent, cur non etiam ratione diversorum temporum? quod tamen omnes negant. 3. Mensura cujusque rei debet esse certa; sed pecunia est mensura valoris annuarum mercium, ergo. 4. Quia alioquin sequeretur, alios aureos esse mercatorum, & aliorum hominum; sed respicit t. pecuniæ valorem à campforibus mutari, quatenus est metallicum, & genus quoddam mercis. Pecunia enim, ut est metallum, v. g. aurum, habet varias commoditates, ut quòd facile deferant, quòd valeat ad medicinas, quòd ubique possit expendi. Contra pecunia quomodocumque spectetur, habet taxatum pretium etiam ut est metallum; nam Principes ratione metalli nobilioris solent augere pretium pecu-

pecuniarum, 2. Quia sequeretur mercatores in recambio debere rependere, & tamen semper lucrantur æquè in cambio ac recambio. 3. Ratio ac natura propria pecuniæ est, ut sit pretium mercium; non est ergo numeranda inter merces. Respond. Pretium pecuniarum tantum esse pro mercatoribus taxatum, non autem pro campforibus; vel ut alii loquuntur, esse taxatas pecunias non secundum secundarium usum, sed primarium. Sed refellitur; quia Principes pretia pecuniarum constituerunt secundum omnem earum usum: ergo inanis est solutio. Probaturs antecedens: Quia si non omnem usum spectassent, injustum pretium constituisent, & seipfos decepissent. Objic. Pecuniæ possunt dari commodatò pro aliquo pretio: ergo non habent eundem semper valorem. Resp. Negò conseq. Nos enim loquimur de traditione pecuniarum, qua transfertur dominium pecuniarum in alium, vel saltè mita transferuntur pecuniæ, ut non eodem numero reddantur: exemplum habemus in libris, licet enim taxatum sit pretium librorum, tamen pro usu librorum potest aliquid peti.

Quæres: An campfores possint aliquod lucrum accipere ratione diversi valoris earundem pecuniarum in diversis locis, ut si v.g. Coronatus valeat Moguntiz 24. batziis, Romæ autem 26. liceat campfiori Moguntiz accipere pro Roma 26. Resp. Campforem justè nihil posse lucrari, propter diversum istum valorem. Et probatur, quia alias in cambio deberet perdere. 2. quia alioquin campfores non possent lucrari, quando recipiunt pecuniam alibi reddendam.

Quæres: An campfores possint aliquod lucrum accipere ratione multitudinis mercium, hoc est, an, v. g. Coronatus pluri possit æstimari Norinbergæ, quàm Moguntiz, propter multitudinem & varietatem mercium, quas quis possit Norinbergæ comparare. Resp. Campfores hoc prætexu nihil posse accipere. 1. Quia valor pecuniæ in se non mutatur propter multitudinem mercium. 2. Quia si hâc ratione possent aliquid accipere in recambio, deberent perdere, quod tamen diligenter cavent. 3. Quia sequeretur, habitantes in villis, posse aliquid amplius accipere ratione pecuniarum, quas exponunt recipiendas in civitate. Prob. conseq. quia vilis quædam in pagis emuntur, quàm in magnis civitatibus, ob multitudinem saltè mercium.

Quæres:

Quæres: An campsores possint pluris æstimare suas pecunias, ratione copix, & inopix pecuniarum, & vendentium, & ementium. Cajet. Navar. Gregor. *loc. cit.* dicunt, quòd possint. Soto putat non posse ratione ementium, & vendentium, sed bene ratione pecuniarum. Medin. verò neutra ratione posse. Resp. 1. Copiam & inopiam pecuniarum sublatà omni lege Principum posse augere, vel diminuere valorem pecuniarum, & similiter copiam ementium, & vendentium. Prob. Quia in omni alia re copia diminuit pretium, & inopia auget. Ergo etiam in pecunia. Resp. 2. Non sublatà lege Principum, non posse ratione copix, vel inopix, vel pecuniarum, vel mercium, vel ementium, vel vendentium, variari valorem pecunix, saltèm in foro exteriori. Prob. Quia omnes merces, quæ sunt taxatæ, non possunt pluris vendi ob inopiam. ergo nec pecunix. 2. Quia sequeretur, mercatores in recambio debere perdere 3. Quia illa causa de inopia, vel copia est ferè semper ficta, vel facilè fingitur. 4. Quia sequeretur usurarios posse facilè lucrari in usuris, ratione temporis. Patet conseq. quia facilè incidit copia, vel inopia mercium in eodem loco intrà tempus diuturnum.

Quæres: An campsores possint augere valorem pecuniarum, ratione absentix; vel diminuere, ratione præsentiæ. Cajet. & Navar. putant posse. Rectiùs Sot. & Medin. putant non posse. 1. Quia hæc causa videtur ficta, cum apud campsores pecunix semper sint præsentes, ubique enim habent suos factores. 2. Quia pecunia illa est communis danti, & accipienti. Nam aliquando dat aliquis pecunias præsentes, ut recipiat absentes; ergo in hoc casu campfor deberet perdere. 3. Mercium commutatio fieri debet, pro ratione valoris rei, in loco, in quo commutantur; ergo nihil ad rem facit præsentia.

Quæres: Quod sit justum pretium in cambiis. Resp. Id, quod lege Principum, aut magistratum, vel consuetudine loci fuerit statutum, vel decretum, vel si nulla lex, aut consuetudo sit, id, quod à prudentibus & probis viris consideratis circumstantiis, pro justo fuerit iudicatum. Resp. 2. Considerandas ferè esse has circumstantias in decernendo justo pretio. 1. Laborem, & industriam campforum. 2. Distantiam locorum. 3. Copiam, vel inopiam pecuniarum.

Canonicus.

V de v. *Distributiones.*

Casus

Casus reservati.

Vide v. *Confessarius, Episcopus, Pœnitentia, Hæresis.*

1. Peccata quæ reservari consueverunt à legitimo Superiore, non sunt peccata merè interna (quamvis absolutè possint reservari) neque venialia; sed peccata mortalia gravia externa, & ita expedit salutem animarum. Hinc fit, ut ille non incurrat casum reservatum, qui facit opus externum non sufficiens ad mortale, etiamsi animus internus fuerit peccaminosus mortaliter. *tom. 1. de Pœnitentia Sacramento, dſp. 5. qu. 7. punct. 5. §. 1. num. 3. & 4.*

Qui ab illis absolvant.

2. Superior qui reservavit, v. g. Summus Pontifex, Episcopus, aut Generalis alicujus religionis; & Superior ipsius reservantis habet facultatem ordinariam & directam absolvendi à casibus reservatis: quia qui potest ligare, potest etiam solvere. *Ibid. §. 2. num. 1.*

3. Summus Pontifex nullum peccatum reservare consuevit, nisi ratione excommunicationis, seu censuræ adjunctæ: quæ censurâ ablata, pœnitens à quolibet Confessario absolvi potest. *Ibid. num. 4.*

4. Archiepiscopus non potest subditos suorum suffraganeorum à casibus reservatis absolvere, excepto casu visitationis provinciæ, vel causa appellationis ad ipsum. *Ibid. num. 5.*

Episcopus incidens in casum reservatum, potest ab Archiepiscopo absolvi, si ei se objiciat: aut à Confessario quem ipse Episcopus elegerit, si facultatem habeat absolvendi alios in eundem casum incidentes: nec refert, quòd ejusmodi casus sit reservatus Summo Pontifici. *Ibid. n. 6. & 7.*

5. Ille facultatem habet delegatam absolvendi à reservatis, qui facultatem obtinuit à Superiore, habente ordinariam. *Ibid. num. 8.*

6. Simplex Sacerdos non potest absolvere peregrinum habentem casum reservatum in loco ubi confitetur, sed non reservatum Episcopo proprii domicilii: est enim judicandus juxta leges loci in quo confitetur. *Ibid. num. 11.*

7. Qui

7: Qui à Sede Apostolica obtinuit facultatem absolvendi ab omnibus censuris, non potest absolvere à reservatis contentis in bulla Cænæ Domini, aut ab Episcopo loci reservatis. Ita decernit Bulla Clementis VIII, quæ incipit: *Sacra Congregatio, &c. Ibid. n. 14.*

8. Habens facultatem absolvendi à reservatis spatio aliquorum dierum, potest absolvere pœnitentem, qui intra tale tempus incurrit casum reservatum; modò pœnitens intentionem habeat præstandi ea, quæ ad consecutionem Jubilæi sunt necessaria. *Ibid. n. 16.*

9. Si concedatur Jubilæus obtinendus in una ex duabus hebdomadis, qui illum in prima obtinuit, non potest adhuc in secunda absolvi à casibus reservatis, si in eos incidit. *Ibid. num. 17.*

10. Pœnitentes habentes casus reservados, quos Confessarius absolvere non potest, remittendi sunt ad superiorem; nisi fortè ipse Confessarius velit petere facultatem à Superiore, qua possit pœnitentem absolvere: quam facultatem pœnitenti per se, vel per alium, tenetur petenti Superior per se loquendo concedere, nisi aliter exigat bonum pœnitentis. *Ibid. n. 18, & 19.*

11. Confessarius non debet absolutionem pœnitenti denegare, quoties certò novit incestum, commisisse. *Ibid. n. 22.*

12. Confessarius non potest denegare absolutionem pœnitenti, quem non certè novit absolutionem indignè petere; neque ei quem aliàs vidit peccantem, sed credit alteri ritè confessum fuisse. *Ibid. n. 23. & 24.*

13. Pœnitens habens peccata reservata, & non reservata, non potest præcisa necessitate, seu rationabili causa confiteri sola reservata Superiori, ut à reservatis sacramentalem absolutionem obtineat; consequenter neque Superior potest auditis solis peccatis reservatis absolutionem impendere, transmittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reservatis. *Ibid. §. 5. num. 1.*

14. Superior dum absolvit à reservatis, non auditis non reservatis, dicitur sacramentaliter absolvere. Hinc colligitur duplex sacramentum, & duplicem effectum recipere, qui à Superiore à reservatis, & ab inferiore à non reservatis, absolvitur. Neque obtinens à Superiore absolutionem refer-

servatorum, tenetur inferiori peccata tam reservata, quam non reservata manifestare. *Ibid. n. 2. & seq.*

15. Sacerdos qui non habet facultatem absolvendi à reservatis, non potest præcisâ necessitate, vel rationabili causâ absolvere pœnitentem à non reservatis, ipsumque mittere ad Superiorem pro reservatis. *Ibid. n. 5.*

16. Sacerdos qui necessitatem habet celebrandi, sed caret copia Sacerdotis approbati pro reservatis, debet inferiori Confessario confiteri, ut directè à non reservatis, indirectè verò & consecutivè à reservatis absolvatur cum onere adeundi postea Superiorem pro absolutione directâ reservatorum. *Ibid. n. 6.*

17. Pœnitens qui per oblivionem peccatum aliquod reservatum, aut censuram prætermisit, tenetur cognito peccato aut censurâ Superiorem adire; non tenetur tamen Superiori repetere peccata. *Ibid. n. 7.*

18. Obstrictus necessitate communicandi, vel celebrandi, potest ante communionem, vel celebrationem confiteri peccata etiam reservata, si non habeat facultatem Confessarii, qui à reservatis & censuris absolvat, cum onere præsentandi se postea Superiori pro absolutione reservatorum, vel censurarum. *Ibid. n. 8.*

19. Potest una reservatio auferri, aliâ remanente, non solum si loquamur de reservatione cum censura, verum etiam de reservatione sine censura. *Ibid. n. 10.*

20. Quilibet Sacerdos approbatus ad confessiones audiendas, potest in dubio facti cadentis sub reservationem absolvere, nisi aliter in jure decernatur in aliquo casu, aut adsit sufficiens præsumptio in contrarium de reservatione facti, quia in dubiis melior est conditio possidentis. *ib. §. 4. m.*

21. Dubitans dubio propriè dicto se complevisse peccatum, quod constat esse reservatum, potest à quolibet Confessario approbato absolvi. Secus dicendum de Sacerdote dubitante de jurisdictione, qui directè absolvere nequit à reservatis, alioqui enim exponit se periculo malè absolvendi. *Ibid. n. 2. & seq.*

22. Sequens opinionem probabilem circa facultatem absolvendi, validè absolvit, Ecclesia tunc supplente jurisdictionem. *Ibid. n. 5.*

23. Absolutus tempore Jubilæi à Confessario approbato remanet absolutus à reservatis, etiam habentibus annexam censuram.

Censuras: non remanet tamen absolutus à reservatis oblitus, si Confessarius non habuit intentionem absolvendi; cujus defectu reservatio non tollitur per quamcumque absolutionem etiam collatam à legitimo Superiore, facultatem reservatorum habente. At pœnitens remanet absolutus à reservatis, etiam si illorum absolutionem expressè & explicitè non petat. Remanet præterea absolutus à reservatis pœnitens, quem Confessarius intendit absolvere virtute Jubilæi, vel similis privilegii. Similiter qui petit à Superiore absolutionem reservatorum, si quibus detineatur, remanet absolutus à reservatis oblitus. *Ibid.* § 5. n. 1. & seq. usque ad 8.

24. Qui virtute Jubilæi absolutionem obtinuit à Confessario approbato, sed inculpabiliter oblitus est alicujus peccati reservati, potest deinde cuilibet simplici Confessario peccatum oblitum confiteri: nam reservatio censetur ablata per confessionem, tempore & virtute Jubilæi factam. *Ibid.* n. 8.

25. Pœnitens qui virtute Jubilæi confessus est sua peccata Confessario approbato, non remanet absolutus à peccatis cum ipso Confessario commissis, sive illa aperuerit, sive oblitus sit. *Ibid.* n. 10.

26. Prohibitio audiendi, vel absolvendi complicem in confessione, respicit quælibet peccata mortalia. *Ibid.* n. 11.

27. Confessarius non potest pœnitentem complicem audire (præciso mortis articulo) in prima confessione, quam pœnitens facit post peccatum cum Confessario commissum, secus dicendum in sequentibus confessionibus. *Ibid.* num. 13.

& seq.

28. Qui tempore Jubilæi fuit absolutus à censuris, & à peccatis reservatis, remanet directè absolutus, etiam si postea non præter cætera quæ ad Jubilæi consecutionem præscribuntur, modò confessus sit animo præstandi cætera ad Jubilæi consecutionem necessaria. Imò verò absolutus à reservatis, vel à censuris tempore Jubilæi, non reincidit in casus reservatos, vel in censuras, etiam si postea voluntariè prætermittat ea quæ ad lucrandum Jubilæum præscribuntur. *Ibid.* n. 16. & seq.

29. Confessarius qui à censuris malè absolvit pœnitentem, quem absolvere non poterat defectu jurisdictionis, debet absentem absolvere obtentâ facultate absolvendi: nam absolutio censurarum ferri potest in absentem & ignorantem, & existentem in peccato mortali: secus dicendum de

Confessario qui male absolvit pœnitentem à peccatis, quem absentem non potest iterùm absolvere; quia absolutio sacramentalis non potest dari absenti, id est, ei qui jam recessit à conspectu Confessarii. *Ibid. punct. 6. num. 1. & 2.*

30. Confessarius debet pœnitentem à se malè absolutum admonere, vel saltèm curare ut iterùm sibi confiteatur ea peccata, quæ commisit ab ultima confessione sibi facta, simul etiam curando, ut pœnitens se accuset de peccatis aliàs confessis: pœnitens enim per hujusmodi accusationem censetur iterùm eadem peccata confiteri; modò Confessarius adhuc memor sit statûs pœnitentis: & sic debet Confessarius consulere salutem pœnitentis. *Ibid. num. 3.*

31. Nulla ceremonia accidentalis in pœnitente, aut Confessario necessaria est necessitate Sacramenti, vel præcepti. Nomine *ceremonia accidentalis* non veniunt actus pœnitentis, qui sunt partes & materia Sacramenti; hos enim constat necessarios esse ad pœnitentiæ Sacramentum. *Ibid. punct. ult. n. 1. 2.*

A D D I T I O.

Concedens casus reservatos, si aliquid specialiter nominet, cætera similia concedere intelligitur: quòd si aliquid excipiat, cætera similia videtur excipere.

Vid. Nav. c. 27. n. 261. Fu. 60. ver. num. 1.

Sublatà reservatione Papali per privilegium absolvendi à culpa, vel censura, censetur etiam sublata reservatio Episcopi, circa eandem culpam.

Nav. c. 27. n. 254. Tolet. c. 14. lib. 5. Navar. l. c.

Sacrilegium reservatum Episcopo, intelligitur solùm, quo violatur locus sacer furto, aut sanguine, aut semine, non autem luxuria personæ sacræ: ubi quidam advertunt, ex jure Episcopo non sacrilegium, sed forilegium reservari.

Tol. lib. 3. c. 14. Sylv. ver. casus Sacrilegium, & omne sacrilegium dicit Episcopo esse reservatum, idem Navar. l. c. n. 262.

Si quis oblitus casuum reservatorum, absolutus est à potente, & intendente absolvere illum ab omnibus, quod semper intendit, qui absolvit, potest absolvi ab illis postea per quemcumque confessorem, quia jam non sunt reservati. Idemque dicendum de illo, qui reservata quidem confessus est,

est, & ab illis absolutus, sed animo incapaci absolutio-
nis.

Navar. c. 26. n. 13. Covar. c. alma, 1 p. §. II n. 12. Anton. 3. p.
tit. 14. cap. 19. §. 17. Sylv. conf. 1. qu. 9. Cajet. vers. casuum reservu.
Suarez disp. 31. de pœnit. sect. 14. Navar. c. eum consideret. §. cau-
tus, de pœnit. d. 5. n. 30. & c. 26. nu. 13. Idem ferè Sylv. confess. 1.
§. 7. Zerola in prax. pœnit. c. 13. q. 18. ex Ang. Palud, Covar. in
c. alma mater. p. 1. §. 11. n. 12.

Idemque dicendum de illo Sylv. confess. 1. num. 21. Ang. de
confess. p. 231. Cajetan. vers. casus. Fu. eod. num. 4. D. Anton. p. 3.
tit. 14. num. 17.

Casus reservati in religione, non habent locum in Novi-
tiis, antequam per vota admittantur, ut neque præceptorum
obligatio.

Censura.

Censura in communi.

Vide v. Excommunicatio.

1. Censura est pœna spiritualis, inflicta ab Ecclesiastica
potestate, privans hominem baptizatum usu aliquorum spi-
ritualium per ordinem ad salutem. Hinc patet peccatum
mortale non esse censuram, quia non est pœna Ecclesiastica,
sed malum culpæ. tom. 1. de Censuris in communi, disp. 1. qu. 1.
punct. 1. num. 1. & seq.

2. Censura triplex est; excommunicatio, suspensio, &
interdictum: differunt ab irregularitate, cessatione à divinis,
& degradatione, seu depositione, quæ non sunt censurae.
Censura excommunicationis, suspensionis & interdicti alia
est à jure, ut quando fertur à Legislatore cum intentione con-
dendi legem, seu statutum generale perpetuum, injuncta
transgressoribus pœna censurae. Alia est ab homine, quæ
fertur à Superiori aliquid præcipiente, non intentione fe-
rendi præceptum, sed transitorium. Alia est lata sententia,
quæ ipso facto incurritur absque alia judicis sententia; alia
est ferenda, quæ solummodò est comminatoria, & non in-
curritur ante sententiam judicis. Cognoscitur censura esse
lata sententiæ, quando in lege ponuntur istæ particule, ipso
facto, ipso jure, aut lata sententia; aut quando cum censura
ponuntur hæc adverbia, confestim, statim, illico, continuo, ex-
tunc, omnino, prorsus, inconcipienti, mox, protinus; aut quando

ponitur censura per verbum præsentis, vel præteriti; vel imperativi temporis, Cognoscitur autem censuram esse tantum ferendæ sententiæ, quando dicitur: *incurrat censuram comminatoriam*, vel, *precipimus sub interminatione anathematis, sub pena excommunicationis, suspensionis, &c.* quando censuram fertur per verbum futuri temporis, *qui hoc fecerit, excommunicatur, &c.* & quando dubium aliquod suboritur, an censura sit latæ vel ferendæ sententiæ; tunc enim iudicandum est censuram esse ferendæ sententiæ, cum odia sint restringenda. *Ibid. n. 4. & seq.*

Causa efficiens censuræ.

3. Potestas ferendi censuras est de jure divino, ut potest collata à Deo. *Matth. 18. Ibid. punct. 2 n. 1.*

4. Ferens censuras debet esse homo viator, baptizatus, habens usum rationis, & non laicus. Præterea ferens censuram non debet habere jurisdictionis usum impeditum, nec debet ferre in causa propria, in qua ipse actoris & iudicis personam sustineat; excipitur tamen casus defensionis, dum quis per modum defensionis censuram fert in eum, qui sibi violentiam infert. *Ibid. n. 3. & 4.*

5. Potestas ferendi censuras jure ordinario, residet in Summo Pont. respectu omnium Christianorum, cujuscumque gradus & conditionis existant. Præterea in Episcopis, in Archiepiscopis, & Patriarchis respectu sibi subditorum. *Ibid. n. 5.*

6. Clericus tamen potest ex commissione sibi facta à legitimo Superiore, vel ex consuetudine legitime introducta ferre censuras, quia clericus est capax Ecclesiasticæ jurisdictionis. Similiter collegium Ecclesiasticum est capax jurisdictionis ad ferendas censuras; secus dicendum si sit laicum & seculare. *Ibid. n. 6. & 7.*

Causa materialis censuræ.

7. Duplex est, proxima & remota: proxima est peccatum, propter quod incurritur censuram; remota est persona ipsa, quæ ligatur censuram. Ad incurrendam censuram prærequiritur aliquod peccatum, & quidem proprium ad excommunicationem incurrendam, licet censura suspensionis possit ferri ob peccatum alterius, v. g. in communiam ob

delictum alicujus ex illa communitate. *Ibid. punct. 3. num. 1.*

Et seq.

8. Ad incurrendam gravem censuram seu majorem requiritur peccatum mortale, exterius, & non sufficit peccatum pure internum, quod ita in mente lateat, ut aliter cognosci non possit, nisi per revelationem, de quo directe non judicat Ecclesia, cum sit merè internum. Neque pro quolibet peccato mortali, quamvis externo, ferenda est gravis censura, sed solum quando peccatum alia ratione corrigi, vel impediri non potest. *Ibid. n. 4. Et 8.*

9. Censura non incurritur à proferente verbum jocosum, vel gestante comam, etiamsi Superior id prohibuerit sub censura, nisi materia prohibita quæ de se levis est, fiat gravis per ordinem ad finem à Superiore intentum in ferenda censura. *Ibid. n. 9. Et 10.*

10. Fur qui acum sartori abstulit, qui ob id damnum notabile passus est, non afficitur censura lata contra eos, qui res sartori furtiverunt. *Ibid. n. 11.*

11. Ad incurrendam censuram requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub censura prohibere: nam materia odiosa strictè explicanda est. Quare ille non incurrit censuram Canonis, qui projicit sagittam contra clericum, sed illum non attingit, quia non adest effectus, vel actio quæ principaliter prohibetur sub censura. Præterea non incurritur censura, quando actus exterior non habet eam malitiam, quæ sub censura prohibetur. Item mandantes, vel consulentes non incurrunt censuram nondum secuto effectu, quando scilicet effectus fuit principaliter prohibitus; secus dicendum quando mandatum, vel consilium principaliter prohibetur. Non incurritur quoque censura ab eo qui actionem aliquam exercet de se sufficientem ad effectum prohibitum sub censura. Quando excommunicatio, vel alia censura lata est sub conditione, non incurritur ante conditionis eventum. Denique non semper incurritur censura ob quodlibet voluntarium, sed ob voluntarium requisitum ad eam incurrendam. *Ibid. n. 12. Et seq.*

12. Non potest pro peccato commisso ferri censura, sed ad eam incurrendam requiritur contumacia: unde qui Missam die præteritâ non audivit, non potest excommunicari propter omissionem Missæ, si non erat impositum præceptum Missæ audiendæ sub excommunicatione: potest tamen pro

peccato præterito imponi aliqua poena, ex.gr. privatio officii, dignitatis, vel accedendi ad Eucharistiam pro tanto tempore, &c. *Ibid.* n. 19. & 20.

13. Ut quis possit ligari aliquâ censurâ, requiritur ut sit homo viator, baptizatus, adultus, seu doli capax, ut sit homo determinatus (non enim tota aliqua universitas, vel collegium potest excommunicari,) & ut sit inferior & subditus ferenti censuram; defectu harum conditionum non ligantur censurahi: Mortuus, (qui commiserat in vita delictum, propter quod lata erat comminatoria censura) dæmon, cum non sit homo viator; animalia irrationalia, locus, amentes, infani, aut furiosi. Similiter non potest suspendi, aut excommunicari Summus Pontifex, quia nullum habet Superiorem: Episcopi, Archiepiscopi, & Cardinales ligantur censurâ generaliter latâ à Sum. Pontifice, nisi illorum fiat exceptio. *Ibid.* punct. 4. n. 1. & seq. usque ad 17.

14. Nemo potest propriâ potestate seipsum excommunicare, suspendere, vel interdicere: nullus enim est inferior seipso. Item ob eandem rationem æqualis non potest ab alio excommunicari, cum par in parem non habeat imperium. *Ibid.* n. 17. & 18.

15. Exempti ab ordinarii potestate (quales sunt Rex & Imperator,) non ligantur illius censuris. Similiter religiosi exempti à jurisdictione Episcopi, non possunt ab ipso excommunicari, vel suspendi in iis casibus, in quibus exempti sunt. *Ibid.* num. 19. & 20.

16. Qui recipiuntur in proprios & peculiare Ecclesiæ Romanæ filios, ligari non possunt censuris ab ordinario loci. *Ibid.* num. 21.

17. Qui semel ligatus est unâ censurâ, est adhuc subiectum capax alterius, non tantum diversæ rationis, sed etiam ejusdem; nam tot sunt censuræ, quot sunt moraliter & formaliter actus contra præceptum, seu quot sunt transgressiones formaliter & moraliter. Unde qui clericum sæpius successivè percutit, incurrit unam tantummodò excommunicationem; secus si percutiat sæpius cum interruptione morali. Idem dic si sunt plures clerici qui successivè percutiuntur. An autem percutiens vel occidens simul uno actu plures clericos, incurrat plures excommunicationes, juxta numerum clericorum qui percutiuntur, vel occiduntur, dissentiant Doctores, quam-

quamvis probabilior in praxi videatur affirmativa sententia.
Ibid. punct. 5. n. 1. & seq. usque ad 8.

18. Plures censuræ incurruntur ab eo, qui facit unum actum habentem plures circumstantias, pro quibus singulis lata est censura. Unde percutiens Sacerdotem, qui simul est Diaconus & Subdiaconus, aut Monachus initiatus primâ tonsurâ, plures non incurrit censuras, quia hæ circumstantiæ non mutant speciem in præsentî casu. *Ibid. n. 8. & 9.*

19. Faciens contra Clementinam primam de sepulturis, potest unicâ actione incurrere plures censuras, cum in ea prohibeantur quatuor formaliter diversa sub excommunicatione lata sententia. *Ibid. n. 10.*

20. Faciens aliquem actum prohibitum à pluribus sub censura, non incurrit tot censuras, quot sunt Superiores prohibentes illum actum sub censura, quando Superiores prohibentes habent eandem potestatem; secus quando habent diversam. Hinc fit ut deferens arma Saracenis, plures non contrahat censuras, quamvis à multis Pontificibus id prohibitum sit sub excommunicatione. Ille tamen ligaretur duplici excommunicatione, qui faceret aliquid sub excommunicatione prohibitum à jure communi, & à jure particulari, aut à Papa, & ab Episcopo intendente novum jus ferre. *Ibid. num. 11. & seq.*

21. Censura lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes, vel consulentes, nisi in sententia censuræ exprimantur mandantes, vel consulentes. Unde in dubio an mandans, vel consulens comprehendatur in censura lata contra facientes, judicandum est non comprehendi. *Ibid. punct. 6. n. 1.*

22. Mandans, vel consulens, qui aliquo modo exprimitur in sententia censuræ, non ligatur censura, nisi verè influat in effectum prohibitum sub censura. *Ibid. n. 2.*

23. Consulens ligatur excommunicatione, quando per suum consilium auxit voluntatem delinquentis; secus dicendum, quando ipse dedit bonum consilium, ut quando parato occidere clericum, suavit tantummodò percutere. Similiter non incurrit censuram, nec tenetur ad restitutionem, qui revocavit mandatum quod dederat, ejusque revocatio innotuit mandatario; secus dicendum de consulente, etiam si revocaverit consilium. *Ibid. n. 3. & seq.*

Censura quomodo feratur.

24. Ad incurrendam censuram necesse est, ut censura lata sit à iudice per signa exteriora, & non per solam voluntatem internam ipsius volentis aliquem ligare censurâ. *Ibid. punct. 7. n. 1.*

25. Ad ferendam censuram non requiruntur certa & determinata verba, sed sufficiunt quæcunque verba, aut etiam scriptura, qua intentio iudicis sufficienter exprimitur. Verba in quibus censura continetur, determinata esse debent ad aliquam particularem censuram; tamen censura lata sub forma disjunctiva, valida est; est enim confusè saltè determinata ad unam. Quòd si delinquens non vult unam partem eligere, censetur subjacere utrique poenæ; aut dicendum, si unam censuram non observet delinquens, censeri alteram elegisse. *Ibid. n. 2 & seq. usque ad 6.*

26. Verba quibus exprimitur censura, debent esse determinata ad aliquam personam, eam nominando si cognoscitur, vel describendo aliquo modo, vel illam designando per ordinem ad delictum. *Ibid. n. 6.*

27. Mortaliter peccat, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & à divinis qui fert censuram sine scriptura, aut sine expressione causæ, aut qui parti poenitentis non concedit exemplar scripturæ intra mensem si peccatur. Ab hac suspensionis poena eximuntur Episcopi ferentes censuram solo verbo, & etiam ferentes sine scriptura ob urgentem causam, aut bonâ fide. Item eximuntur & Prælati religiosorum ferentes censuras contra suos religiosos. *Ibid. punct. 8. num. 1. & 2.*

28. Censura lata sine scriptura, vel sine expressione causæ, non est irrita & invalida: nam omissio scripturæ censetur tantum omissio formæ accidentalis. *Ibid. n. 3.*

29. Ad incurrendam censuram ita prærequiritur admonitio, ut invalida sit sine ea. Præceptum Superioris latum sub censura incurrenda, nisi blasphemi deferantur, vicem gerit admonitionis, nec opus est novâ admonitione. *Ibid. punct. 9. n. 1. & seq.*

30. In censuris comminatoriè latis pro futuris culpis non videtur requiri admonitio distincta à publicatione legis sed edicti, quidquid multi Doctores in contrarium sentiant, Re-

tio est, quia adest sufficiens admonitio ex parte iudicis, & sufficiens contumacia ex parte delinquentis. *Ibid, num. 3.*

¶ 4.

31. Admonitio facienda est auctoritate illius qui laturus est censuram, & dum declarandum est aliquem incidisse in censuram, necessaria est citatio, quia sententia lata parte inaudita, irrita est. *Ibid, n. 4.*

32. Valida quidem est censura, quando præmittitur una tantum admonitio absque necessitate urgente, quia nullo jure cavetur esse invalidam; peccat tamen iudex illam ferens siæ triplici admonitione. Constituendi sunt duo saltè dies pro singulis monitionibus; & quando censura fertur contra personam aliquam particularem & determinatam, admonitio facienda est coram illa persona: nullus enim potest esse contumax, quod requiritur ad incurrendam censuram, nisi sit admonitus. Nec sufficit admonitionem fieri ad domum illius, contra quem fertur censura, nisi reus per dolum se abscondat, vel impediat per vim, aut jam semel facta fuerit personalis admonitio, aut citatio facta ad domum innotuerit delinquenti. Quidam volunt in duobus casibus non videri opus esse præmittere admonitionem ad ligandum aliquem censuram; si aliquis à iudice sedente pro tribunali admonetur, num parere velit, & dicat se nolle parere; & si aliqua censura lata est à jure propter aliquod delictum, iudex inferior potest propter idem delictum ferre excommunicationem absque alia admonitione. *Ibid, num. 5. & seq. usque ad vi.*

33. Quando suspensio vel interdictum fertur contra communitatem, admonitio facienda est delinquenti, ob cujus delictum fertur interdictum, vel suspensio. Quando fit admonitio alicui personæ, seu citatio, debent interesse aliquæ personæ idoneæ, quæ testentur, si opus fuerit, monitionem factam fuisse. *Ibid, n. ii. & 12.*

34. Censura injusta ex eo quòd non proveniat ex amore justitiæ, sed potius ex odio, valida est; quia nihil essentialiter deficit: secus dicendū de censura injusta, in qua prætermisus est juris ordo; nam sententia lata non servato juris ordine necessario, non est sententia, nec conformis juri. Similiter invalida est censura materialiter injusta, quando scilicet causa, propter quam fertur, non subsistit. Ex quibus patet innocentem injustè excommunicatum non privari suffragiis Ecclesiæ, nec indigere absolutione in foro conscientiæ. Patet ulte-

ulte-

ulteriùs innocentem, contra quem lata est sententia censura materialiter injusta, posse privatim secluso scandalo, celebrare, & celebrando non incurrere irregularitatem; & cum non privari jurisdictione in foro conscientia, nec inhabilem fieri ad beneficia. *Ibid. punct. 10. n. 2. & seq. usque ad 8.*

35. Sententia errorem intolerabilem continet (consequenter invalida est) quando iudex eam fert, non habens, neque indicans se habere rationem, & justam causam ad censuram ferendam. Quare lex præcipiens aliquid turpe, aut inutile, aut contra commune bonum, non obligat in conscientia, neque ligat. Adverte tamen in dubio causæ justæ censuram obligare. *Ibid. n. 8. & seq.*

36. In ferenda censura servanda est circumstantia loci seu proprii territorii, quando ad illam ferendam opus est jurisdictione contentiosa, seu quando fit cum causæ cognitione strepitu judiciali; & sic non potest Episcopus extra propriam diocesim validè ferre censuram, sedendo pro tribunali, & cum causæ cognitione. *Ibid. punct. 11. num. 3. & 4.*

37. Ferri non potest censura per modum statuti contra subditos in alieno territorio existentes; quia extra territorium jus dicenti non paretur impunè: clericus tamen existens in alieno territorio, potest ligari censurâ, si non resideat, aut ad Synodum non accedat; quia non residendo censetur peccare in diocesi. *Ibid. n. 6. & 7.*

38. Faciens contra censuram in loco exempto, non ligatur censura; censetur enim abesse à diocesi formaliter. *Ibid. n. 8.*

39. Stuprator puellæ non ligatur censurâ (si quæ lata est per statutum in aliquo territorio) consummando copulam cum ea extra tale territorium: neque existens in Ecclesia ligatur censura, occidendo hominem existentem extra Ecclesiam; secùs dicendum si è contrâ, nam tunc homicidium completur in Ecclesia. Adde vulnerantem in Ecclesia, aut in territorio, in quo lata est censura, ligari censurâ, si vulneratus moriatur extra Ecclesiam, aut extra territorium, in quo lata est censura. *Ibid. n. 10. & seq.*

40. Qui furatur extra propriam diocesim, non ligatur censurâ laicâ per modum statuti contra furantes in propria diocesi. *Ibid. n. 13.*

41. Superior potest censuris per sententiam ligare suos subditos existentes in alieno territorio; propterea fur com-

mit-

mittens furtum extra territorium sui Superioris, ligatur censuris ab eo Superiore latis per modum sententiæ contra furantes: sententia enim respicit personam, ut illius contumacia coërceatur. *Ibid. n. 4.*

24. Censura lata ab Archiepiscopo non extenditur ad Suffraganeos, & ad subditos suorum Suffraganeorum, nisi censura lata sit in Concilio Provinciali, aut nisi delinquant in territorio ipsius Archiepiscopi. *Ibid. n. 19.*

43. Extraneus non ligatur censuris latis à Superiore loci, in quo brevi tempore reperitur; nisi fortè decreverit ibi permanere. Intellige huiusmodi extraneum non solum non ligari censuris latis per sententiã, sed neque latis per statutum: nec refert quòd fuerit præsens, quando lata fuit censura, si non habuerit intentionem ibi manendi. *Ibid. n. 20. & seq.*

44. Censura quæ non omninò liberè ac voluntariè fertur, sed potius per metum incussum iudici ad censuram extorquendam, valida est. *Ibid. punct. 12. n. 1.*

45. In ferenda censura servandus est ordo, ut videlicet prius feratur censura levior, deinde gravior; aut omittatur gravior sufficiente leviore. Servanda etiam circumstantia temporis, ne scilicet feratur die feriato: si tamen feratur tali die, valida est. *Ibid. n. 2. & seq.*

46. Qui censuram contraxit, denuntiari debet de auctoritate legitimi Superioris, in Ecclesiis publicè, & postea denuntiatio in scriptis affigi debet ad portas Ecclesiarum, cum expressione causæ, juxta receptum loci morem. Adverte tamen denuntiationem fieri solere dumtaxat in censura lata contra determinatam personam, & non in edita contra indeterminatas personas. *Ibid. punct. 13. propos. 1.*

47. Iudex non semper tenetur ad huiusmodi declarationem, & consequenter ad denuntiationem, nisi aliud ratio boni privati vel communis suadeat. *Ibid. proposit. 3.*

48. Qui censuram à jure, vel ab homine latam ipso jure contraxit, non est denuntiandus statim post delictum ante sententiã criminis declaratoriam, etiamsi delictum notorium sit & publicum; sed præmittenda est citatio & sententia criminis declaratoria. *Ibid. propositiõne quintã.*

Censura finis & effectus.

49. Finis censuræ est ille, quem Superior in ferenda censura

sura

fura intendit, sibi que proponit; qui est salus vel emendans, ac resipiscentia illius contra quem censura fertur: unde Prælati moraliter certus, vel dubitans excommunicationem non profuturam delinquenti, eam ferre non debet, nisi eam ferat ad terrorem aliorum. *Ibid. punot. ult. n. 1. & 2.*

50. Effectus censure est privatio aliquorum bonorum spiritualium: hunc effectum suspendere potest Summus Pontifex, potestque validè conferre beneficium excommunicato; secus dicendum de Episcopo. *Ibid. n. 3. & seq.*

Causa excusantes ab incurrenda Censura.

51. Ignorantia probabilis tam juris communis, quàm particularis, excusat ab incurrendis censuris; quia delictum non debet puniri eadem poenâ, quando lex ignoratur, ac quando scitur. Unde ille qui scit aliquod delictum esse prohibitum jure naturæ & divino; sed nescit esse prohibitum ab Ecclesia, non ligatur censuris impositis ab Ecclesia contra patrans hujusmodi delictum. *Ibid. quest. 2. punot. 1. n. 6. & 7.*

52. Ignorantia probabilis facti aut qualitatis facti, excusat à censuris incurrendis: propterea Titius occidens clericum, quem credebat esse feram, excusatur à censura ratione ignorantie facti, aut potius qualitatis facti, si credebat esse laicum. Ignorantia vincibilis & culpabilis facti vel juris, quæ crassa est, & non excusat à culpa mortali, non excusat ab incurrendis censuris, vel irregularitate proveniente ex delicto. Ignorantia affectata excusat à censuris latis contra scientes, præsumentes, vel temerè facientes, &c. Hinc à fortiori ignorantia crassa, vel supina non sufficet ad incurrendam censuram latam contra præsumentes, vel temerè facientes, &c. *Ibid. n. 8. & seqq.*

53. Ignorantia poenæ, id est, censure, excusat ab incurrendâ poena censure: unde qui scit, aliquod delictum prohibitum fuisse ab Ecclesia; sed nescit prohibitum fuisse sub censura, non incurrit censuram committendo illud delictum verum sub censura. *Ibid. n. 13.*

54. Ignorantia comitans excusat ab incurrendis censuris & irregularitate proveniente ex delicto: unde jaciens sagittam in suum inimicum, quem credebat esse feram; sed in mente sua ita erat affectus actualiter, ut illum occidisset, si

scivisset

scivisset ipsum esse suum inimicum, non contrahit irregularitatem, vel excommunicationem, si lata esset excommunicatio contra homicidas; quia censuræ incurruntur ob peccatum externum: opus autem externum factum cum ignorantia comitante, non est peccatum. *Ibid. n. 14.*

55. Ex dictis infer non incurri excommunicationem ab eo, qui percutit clericum, nesciens prohibitum esse ab Ecclesia percutere clericum. Idem dicendum de eo, qui licet sciverit prohibitum esse ab Ecclesia cleri percussionem, nihilominus numquam scivit, prohibitam esse sub censura; vel nihil umquam dubitavit; vel si dubitavit, adhibuit sufficientem, vel saltèmediocrem diligentiam ad cognoscendum, an lata esset censura contra percussores clericorum, & non potuit ante percussionem, vel ante actum sub censura prohibitum rei veritatem invenire: hic enim dicitur ignorantia probabili laborare. Infer præterea virum indoctum non incurri censuram, quando consuluit viros doctos professionis & artis moralis, num lata esset censura, ipsique responsum est nullam extare. Idem dicendum de viro docto, qui subito dubio alicujus censuræ, mediocri saltè labore & diligentia revolvit libros; sed nullam censuram potuit invenire. *Ibid. n. 15. & 16.*

56. Naturalis oblivio & inconsideratio excusat ab incurrenda censura; nam oblivio & inconsideratio comparatur ignorantia. *Ibid. n. 17.*

57. Nullam incurrit excommunicationem, qui projicit saxum contra Cajum clericum; sed fortè inculpabiliter percussit alium clericum transeuntem: secus dicendum de percussente clericum, quem putabat esse laicum; sed si est clericus, adhuc, inquit, volo percutere. *Ibid. n. 20. & 21.*

58. Percutiens laicum, credens ex percussione laici incurri excommunicationem, non afficitur excommunicatione, cum non sit in jure expressa. *Ibid. n. 22.*

59. Legitima appellatio excusat ab incurrenda censura lata sub conditione, modo appellatio sit ante conditionis adimplerionem; at censura lata purè & absolutè, non suspenditur per appellationem. Dari non potest appellatio ab absolute excommunicationis, qua suspendat effectum absolutiois. *Ibid. punct. 2. n. 2. & 3.*

60. Appellatio à sententia sub conditione lata excusat ab incurrenda pœna; etiamsi postea appellatio ipsa fuerit derelicta. *Ibid. n. 40.*

61. Citatus à iudice ad comparandum intra mensem sub poena alicujus censuræ, non peccat non comparando post factam appellationem. *Ibid. n. 5.*

62. Licitum est appellare à sententia declaratoria; ut si iudex declaret aliquem Clericum excommunicatum propter delationem sclopi, potest clericus ab hac declaratione appellare, & probare sclopi à se non fuisse delatum. Appellatio fieri debet cum probabili & sufficienti causa; vel saltè appellans debet bonâ fide appellare, debito tempore. *Ibid. n. 7. & 9.*

63. Superior excommunicans inferiorem hoc modo: *Excommunico te si appellaveris*, non ligat inferiorem facta appellatione ab ipso inferiore; nam hujusmodi excommunicatio continet errorem intolerabilem. *Ibid. n. 10.*

64. Impotentia faciendi quod præcipitur sub censura, excusat ab incurrenda censura; quia ad impossibile nemo tenetur. Similiter metus gravis, seu cadens in constantem virum, excusat ab incurrendis censuris. Quare clericus deferens arma metu mortis, non peccat mortaliter, nec afficitur excommunicatione, si quæ lata sit contra ferentes. Item Christiani capti à Turcis possunt sine censura remissè impellere naves contra Christianos; nam metu mortis hoc faciunt. Item excusantur metu mortis adulterium committentes. *Ibid. punct. 3. n. 1. & seq.*

65. Voluntas seu consensus illius, in cujus favorem concessa fuit censura, sufficit ad suspendendam censuram, ne incuratur. *Ibid. punct. 4. n. 1.*

66. Debitor elapso termino prorogato sibi à creditore, in cujus favorem lata fuerat censura, ligatur censura. *Ibid. num. 2.*

64. Denique hæ causæ excusant adhuc ab incurrendis censuris: Voluntarium imperfectum, actio non sufficiens ad effectum prohibitum sub censura, innocentia subditi, iniustitia materialis censuræ, nullitas censuræ, &c. *Ibid. n. 3.*

Censurarum absolutio.

68. Censura reservata lata ab homine per sententiam generalem vel particularem, jure communi potest auferri per eum qui eam tulit, vel per ejus Superiorem, vel per successorem, aut per eum, cui specialis facultas fuerit delegata. Censura

fura non cessat per obitum ipsius Prælati, à quo censura lata fuerat *Ibid. qu. 3. punct. 1. n. 1. & seq. usque ad 6.*

69. Censura non reservata, lata per sententiam generalem, jure communi tolli & auferri potest à quocumque potestatem habente absolvendi à mortalibus. Quare qui contraxit censuram in uno loco, potest absolvi à Superiore illius loci ad quem se transfert, nisi censura lata esset per sententiam particularem, quæ auferenda est ab eo qui tulit. *Ibid. n. 6. & seq.*

70. Superior potest absolvere à censura, quam tulit contra eum, qui à se appellavit; cum per appellationem iudex non amittat suam jurisdictionem. *Ibid. num. 10.*

71. Qui à Papa obtinuit facultatem absolvendi à casibus, & censuris, non potest absolvere à casibus Episcopo reservatis, nisi id expressum sit; quia Pontifex non intendit derogare statutis particularibus locorum. *Ibid. n. 11.*

72. Habens facultatem absolvendi ab omnibus censuris, potest etiam absolvere à reservatis: sicut & obtinens facultatem absolvendi à casibus Summo Pontifici reservatis, potest etiam absolvere à censuris illi reservatis: non tamen à censuris in Bulla Coenæ reservatis; nam hæ specialiter reservantur, consequenter indigent speciali expressione. *Ibid. n. 12. & seq.*

73. Episcopi non solum possunt absolvere à censuris latis à se, vel à suis prædecessoribus; sed etiam ab omnibus censuris & casibus reservatis Summo Pontifici per seipso, aut Vicarium ad hoc specialiter deputatum, aut per Pœnitentiarium. Ita Conc. Trid. *sess. 24. c. 6.* quod Tridentini decretum ulterius extenditur; modo delictum sit occultum. *Ibid. punct. 2. n. 1.*

74. Episcopus absolvere potest à casibus Papæ reservatis, etiam quando delictum fuit deductum ad forum contentiosum; sed reus purgavit se, & non fuit in eo convictus. *Ibid. num. 2.*

75. Episcopus non potest absolvere eum, qui in uno loco commisit delictum publicum; sed postea se transtulit ad alium locum, ubi est occultum: quia hujusmodi delicta sunt verè publica. Quod si excommunicatio sit publica, & delinquens ob legitimum impedimentum non potest Romam adire, tunc Episcopus potest absolvere; videtur tamen ha-

bendus recursus ad Sedem Apostolicam per Procuratorem,
& per Epistolam. *Ibid. n. 3. & 4.*

76. Archiepiscopus non potest à censuris latis à Suffraganeis, vel à Sede Apostolica absolvere subditos Suffraganeorum; quia non habet in ipsos jurisdictionem; nisi apud eum facta fuerit appellatio, aut ab Episcopo Suffraganeo malitiosè, aut negligenter differatur absolutio: aut nisi visitet, tunc enim ratione officii ordinariam habet facultatem ad absolvendum. *Ibid. n. 7.*

77. Laicus vel etiam clericus qui non est Sacerdos, non potest à censuris absolvere in articulo mortis; neque Diaconus qui non excommunicavit, vel qui non habet specialem aliquam facultatem absolvendi; quamvis multi contrarium sentiant. Potest tamen simplex Sacerdos, quamvis degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus, quando non patet aditus ad Superiorem, vel ad Confessarium approbatum. Dicitur autem mortis articulus non solum periculum mortis proveniens ex infirmitate, sed quodlibet probabile periculum mortis. Quod si pœnitens potest adire Superiorem per litteras, aut per Confessarium, quilibet Sacerdos non potest absolvere à censuris, etiam in articulo mortis, secus dicendum si dubitatur, an pœnitens qui est in articulo mortis proximo, possit supervivere, & expectare. *Ibid. punct. n. 1. & seq. usque ad 7.*

78. Quando adsunt plures Sacerdotes, quorum unus est approbatus, non verò alius, unus excommunicatus, non verò alius, &c. approbatus, & non excommunicatus debet absolvere. *Ibid. n. 7.*

79. Infirmo, qui non potuit petere absolutionem peccatorum, potest absolutio censurarum impendi à quolibet Sacerdote, ut recipiat aliqua Sacramenta, & non privetur Ecclesiastica sepultura; non autem potest impendi absolutio ab irregularitate, aut à suspensione ab ordine, officio vel beneficio, quæ non retardant à consecutione gloriæ. *Ibid. num. 8. & seq.*

80. A pœnitente non puero, qui in mortis articulo absolvitur à Sacerdote aliàs non habente facultatem absolvendi à censuris extra mortis articulum, extorquendum est, si fieri potest, juramentum, sese sublato impedimento non perpetuo præsentandi quamprimum commodè poterit coram Superiore, qui de jure potest extra illum articulum absolvere; alio-

Alioquin peenitens reincidit in novam censuram. Nec refert quod sublato morbo satisfecerit parti læsæ; debet enim se obedientem exhibere. Remanet tamen absolutus, si Confessarius ex oblivione, vel negligentia hoc onus se præsentandi non injunxerit. Quod si in articulo mortis absolutus fuerit vi alicujus privilegii aut Jubilæi, non tenebitur se præsentare Superiori. *Ibid. n. 11. & seq. usque ad 16.*

81. Absolutio ad reincidentiam dicitur ea, quæ positâ iterum inciditur in censuram, nisi præstentur ea quæ præscribuntur; & absolutus ad reincidentiam vitandus est, postquam neglexit se præsentare. *Ibid. n. 17. & 18.*

82. In absolutione casuum reservatorum tradita in mortis articulo, exigenda non est cautio præsentandi se Superiori. *Ibid. n. 19.*

83. Invitus positivè, aut ignarus, sublatâ contumaciâ propter quam ligabatur censura, potest à censura absolvi, si spectemus naturam censuræ, quia sicut censura ferri potest in invitum, ita potest ab invito auferri. Similiter absens localiter validè potest absolvi. *Ibid. punct. 4. num. 3. & 4.*

Absolutionis censura forma.

84. Ad absolutionem censuræ non est necessaria certa, & determinata forma verborum; sed sufficiunt quæcumque verba ore prolata, vel in scriptis expressa & exarata, quibus sufficienter exprimat absolutio; quare sufficerent hæc verba, *te absolvo*, aut, *ego te absolvo*, ut dicitur in absolutione peccatorum. A solo Pontifice dari potest absolutio censuræ per nutus & signa. Non est necesse in absolutione censuræ causam exprimere; nisi sint plures, & Superior intendit unam tantum per absolutionem auferre: potest enim una censura auferri aliâ remanente. Neque petens absolutionem ab una censura, remanet ab omnibus absolutus, quando Superior generalem impendit absolutionem; nam cum petitio sit limitata, limitata est etiam absolutio; remanet tamen peenitens absolutus à censuris oblitis in confessione generali, si confessus sit Sacerdoti habenti facultatem absolvendi à censuris, ex officio vel ex privilegio. *Ibid. punct. 5. num. 1. & seq.*

85. Habens jurisdictionem ordinariam, potest extra confessionem absolutionem censurarum conferre: quia sicut

extra confessionem potest ligare, ita etiam absolvere. Item habens facultatem absolvendi à censuris in foro conscientie potest ab iis absolvere extra confessionem. *Ibid. p. 6. n. 7. & 8.*

86. Pœnitens qui tempore Jubilæi confessus est censuræ & peccata reservata cum intentione consequendi Jubilæum, & præstandi cætera præscripta in Jubilæo, remanet absolutus, si obtentâ absolute aliquid omisit, v.g. jejunium, ratione cujus omissionis non consequitur indulgentiam, neque graviter peccat non præstando cætera requisita, etiam si id voluntariè faciat. *Ibid. n. 13. & 14.*

87. Absolutio censurarum, in rigore loquendo, potest validè ferri, non solum sub conditione de præsentibus & præteritis; sed etiam sub conditione de futuro, & etiam sub conditione impertinente; quamquam censura illicitè feratur de modo. *Ibid. punct. 7. num. 1.*

88. Absolutio censurarum dari potest *ad cautelam*, id est, dubitando sub hac conditione, si pœnitens indiget, vel si contraxerit; abundans enim cautela non nocet. Petens absolute censuræ, non fatetur censuram, sed solum indicat se habere conscientiam læsam, & fortè petere absolute ad cautelam. *Ibid. n. 2. & 3.*

89. Sicut censura impendi & extorqueri debet sine dolo, vel errore, ita etiam ejus absolutio: neque remanet absolutus is qui absolute extorsit per dolum versantem circa causam finalem. Idem dicendum de absolute data per vim, vel metum injuriosum cadentem in constantem virum; hæc enim invalida est, à quocumque metus incutiatur, modo incussus sit per ordinem ad extorquendam absolute. Præterea ille adhuc subjacet censuræ sub conditione lata, qui ante conditionis eventum per vim curavit revocari absolute: hæc enim revocatio invalida est. *Ibid. p. 8. n. 1. & seq.*

90. Habens facultatem ordinariam, vel delegatam, seu privilegium absolvendi absque limitatione satisfactæ partis, validè absolvit pœnitentem, qui nondum satisfecit parti læsæ. Ut autem sciatur, quando satisfactio imponatur tamquam conditio necessaria, attendenda sunt verba quibus conceditur privilegium cum limitatione. *Ibid. punct. 9. num. 1. & seq.*

91. Habens privilegium absolvendi, satisfactâ parte, potest absolvere eum qui parti non potest satisfacere; modo creditor non sentiat æquale damnum, & petitâ cautione pœnitentis

pœnitente, eum datâ occasione satisfacturum; & qui totam satisfactionem exhibere non potest, tenetur ad partem. *Ibid.*

n. 4. & seq.

92. Qui potestatem habet absolvendi sub hac conditione, *satisfacta parte*, potest statim absolvere excommunicatum qui dedit pecuniam Confessario, vel alteri viro probo, ut commodius restituatur: nam pœnitens hoc modo videtur satisfecisse. Idem dic quando per pœnitentem non stat. ne satisfaciat *Ibid.* n. 7. & 8.

93. Qui ligatur censurâ, donec satisfaciat, factâ satisfactione, requiritur adhuc absolutio, neque aliter haberetur apud Ecclesiam pro absoluto. *Ibid.* n. 10.

94. Ille dicitur absolvi in foro interiori, seu conscientia, qui absolvitur ab eo, cui Superior concessit facultatem absolvendi, salvo jure cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam & satisfactionem imponendi. *Ibid.* punct. 10.

n. 1.

95. Absolutus in foro conscientia, non est denuò absolvendus, quando ejus crimen defertur ad judicem; & excommunicatus occultus absolutus in foro conscientia, potest se gerere tamquam si non esset excommunicatus. *Ibid.* n. 3. & 4.

96. Antequam absolutio censuræ impendatur, regulariter loquendo, præcedere debet petitio ipsius absolvendi; non quidem ex necessitate & essentia absolutionis, sed ex congruitate. Reo qui absolvitur, aliquando imponi potest pœna pecuniaria, solvenda si non paruerit: per se tamen loquendo non est imponenda, quia redolet suspicionem avaritiæ. *Ibid.* n. 4. & 5.

97. In absolutione, quæ in foro externo impenditur, servandæ sunt cæremoniæ præscriptæ *in cap. à nobis, de sent. excom.* videlicet levis percussio virgâ aut flagello super nudatos humeros viri, & non foemina, ob honestatem, quamdiu recitatur Psalmus *Miserere*, aut alius pœnitentialis; postmodum dicto *Gloria Patri*, &c. *Kyrie eleison*, &c. *Pater noster*, &c. versiculis *Salvum fac*, &c. absolvens hanc orationem recitat *Oremus, Deus cui proprium est misereri semper & parcere; suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tua pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Deinde absolutionis verba subjungit: *Auctoritate quâ fungor absolvo te à vinculo excommunicationis, quod incurri-*

si ob hanc vel illam causam, restituo te Sacramentis Ecclesie
& communioni fidelium, In nomine Pa. ris, &c. Amen. Ista
men ceremonie non sunt de essentia absolutionis. *Ibid.*

A D D I T I O.

Censuræ positæ contra non revelantes id., quod à iudice
in eis proponitur, non comprehendunt nec litigantes, nec eos
qui probabiliter credunt rem illam ab eo, qui tenet, iustè pos-
sideri; nec illos, qui certò nesciunt, quod quaeritur; aut, si
sciunt, non possunt sine periculo magni damni denuntiare.

Vid. Navar. c. 25. n. 46. Fu. *ver. accusat.* n. 29.

Irretitus aliqua censura, etiam irregularitatis, ex homici-
dio vel excommunicatione, aut suspensione, potest celebrare
ne alioqui infametur.

Navar. cap. 27. nu. 239, nam lex naturalis de tuenda fama
potior est lege humanâ, cum Navar. sentit Victor *de excom.* n.
13. Angl. *de Eucharistia* pag. 101. Lopez. p. 2. cap. 93. in fin. *Con-*
dub. q. 142. tres refert sententias, & pro hac citat Castro l. 2. l.
ult. de leg. pæn. & Sylvest. si hanc sequeris, infamie periculum
debet esse probabiliter certum. Covarr. *in c. alman.* l. p. §. 1. n.
3. & §. 2. n. 11. & Graff. l. c. 12. nu. 15. *Decis. aur.* id non con-
cedunt. *Sot. ult. d.* 18. q. 2. art. 5. coll. 17. hoc semel permittere
ad grave scandalum tollendum.

Census.

Vide v. *Vfura.*

1. Nomine *census* intellige jus percipiendi certam pensio-
nem ex re alterius frugifera, sive ea pensio sit fructuaria, sive
pecuniaria. Duplex est census, consignativus, & reservativus:
qui est contractus, quo quis transfert rem suam in alterum
quoad dominium directum vel utile, reservatâ sibi annuâ
pensione. Census verò consignativus est contractus, quo
quis alteri vendit jus percipiendi annuam pensionem, super
rebus suis, aut super persona. Et hic census triplex est; rea-
lis, personalis, & mixtus. Realis fundatur in re ipsa, ut in agrò,
vineâ, &c. Personalis in persona, quatenus talis persona po-
test aliquid acquirere proprio labore industriaque: census
verò mixtus fundatur super re & persona, Præterea census
alius

alius est perpetuus seu irredimibilis, alius temporalis, qui redimi potest a censuario. *tom. 2. de Contract. disp. 3. quest. 4. punct. unio. n. 1. & seq.*

2. Ad contractum census ex natura contractus requiruntur diversae conditiones; videlicet, ut adsit intentio emendi & vendendi, ut adsit justum pretium (quamquam non requiritur ut pretium census æquet pensiones solvendas, habendaque est ratio oneris impositi censualistæ.) ut constituens censum super re aliena liberam habeat illius rei disponendæ facultatem; qualem non habet maritus respectu fundi dotalis uxoris suæ absque illius consensu, aut Clericus super beneficium, aut feudatarius & emphyteuta super re accepta in feudum, vel emphyteusim: præterea ut census fundetur in re frugifera, ut si res censita pœreat absque culpa censuarii, cesset census ad ratam; denique ut si aliquod onus imponatur venditori, ad quod venditor ex natura contractus non tenebatur, debitâ mercede compensetur. *Ibid. n. 5 & seq. usque ad 14.* Hoc posito.

3. Census realis licitus est concurrentibus sequentibus conditionibus; videlicet, ut census non instituat, nisi super re immobili sua natura frugifera, (quamvis fortè aliquoties non ferat) & certis finibus designata; deinde ut contractus census non celebretur, nisi numerata pecunia in actu celebrationis instrumenti coram Notario & testibus: id est, videntibus Notario & testibus pretium integrum solvi: nec sufficit ut computentur debita in pretium, vel ut censuarius fateatur sibi solutum pretium, aut res aliqua æquivalens, v. g. gemma solvatur: præterea ne pensiones anticipatæ deducantur in pactum, hoc est, ne is qui emit censum, cogat censuarium, ut sibi censum anticipatè solvat; nec tantummodo exigat pro rata temporis lapsu; quamquam potest censuarius anticipatè solvere, si propriâ sponte anticipatèolvere voluerit. Item ne venditor census obligetur ad casus fortuitos, vel ad alia onera, ad quæ ex natura contractus non tenetur, & ne fiat pactum restringens libertatem censuarii; ne alienet rem ut sui subjectam; aut ne fiat pactum solvendi censitori laudemium, vel aliam partem rei alienatæ. Item ut dominus rei censitæ volens rem censitam vendere, admoneat censualistam, num ipse velit eam emere eodem pretio, eumque aliis præferat, alioqui licitum est censualistæ repetere rem censitam venditam ipso irrequisito. Item cave-

tur fieri pactum, quo censuarius existens in mora, seu non solvens censum tempore constituto, teneatur ad interesse lucrificantis, aut ad aliquam poenam, aut ad amittendam rem censui subjectam, aut ad expensas; quamquam seclusa lege positivâ videtur teneri ad evitanda damna, quæ passus est censualista ob ipsius moram. Item ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus debitis & nondum solutis; quamvis non sit illicitum jure naturæ censum augeri ex pensionibus nondum solutis, & traditis censuario loco pretii. Item ut semper liberum sit censuario redimere censum quoties voluerit, reddito eodem pretio quo vendiderat, non obstante quavis præscriptione, aut pacto. Item ut pretium census semel constitutum non possit augeri vel minui ex aliqua circumstantia superveniente, sed æquale pretium reddendum sit, quo census ab initio fuit emptus. Denique ut censuarius non cogatur ad redimendum censum, secluso hoc casu; quando videlicet censuarius admonuit censitorem duos menses antequam redimeret, se velle redimere; quâ denuntiatione factâ, censitor potest intra annum repetere pretium census à censuario, licet invito; Elapso verò anno, non potest pretium exigere. Circa has condiciones advertit multos Doctores affirmare non improbabiler, eas solum requiri in foro conscientiæ, quas jure naturæ seu ex natura contractus requirit paulò antè ostensum est. *Ibid. n. 14. & seq.*

4. Census vitalitius ad ementis, aut vendentis vitam, vel ad aliorum annorum numerum incertum, licitus est & validus interveniente justo pretio; nam concurrente justo pretio tam censuarius, quam censualista subit æquale periculum lucrandi & perdendi. Redimique potest à censuario census vitalitius; ita ut censuarius liberetur, & non teneatur amplius ad pensionem persolvendam, modò adsit mutuus contrahentium consensus, & servatâ proportione justum intercedat pretium. Minus tamen valet, quò plures pensiones solutæ sunt, & quò plus vitæ transactum est. *Ibid. num. 18. & 20.*

5. Adverte in constituendo pretio census, haberi posse rationem oneris impositi censualistæ, qui rem emit redimibilem gratiâ censuarii, ut dictum est de venditione cum pacto retrovendendi; neque pretium census debere pensiones solvendas æquare, *Ibid. n. 24.*

6. Emptor census potestne pactum apponere, ut quando censuarius voluerit redimere censum, non redimat nisi eadem moneta? Potest, modo qui tradit pecuniam, probabiliter credat valorem monetae non esse augendum. *Ibid. n. 36.*

A D D I T I O.

Non prohibet Bulla Pii V. debita jure naturae (ut satisfationem pro damno dato, non solvendo censum in tempore) nec dare fideiussorem, aut hypothecam etiam omnium bonorum, aut securitatem venditionis, vel solutionis; nec emere certam pecuniae summam ad vitam, ut pro mille centum. Id enim non est census, sed contractus, do, ut des. Solent quidem ad vitam ementis dari octo pro uno, possuntque pro tali pensione obligari omnia bona.

Solvendus est census in fine anni, nisi aliud habeat consuetudo, aut pactum.

Ut potest solvi pro censu pecunia, ita fructus aliquis ex pacto, etiam si locus censui subjectus, talem fructum non ferat.

Leg. Nav. de usur. n. 79.

Etiam anno, quo nullus colligitur fructus, solvendus est census.

Ubi Bulla Pii V. recepta est, negant quidam licere censum super persona constitui, alioqui licere, & super persona, & super communitate, & super bonis incertis, scilicet possessis, & possidendis; alii etiam, ubi recepta est, licere, si sit perpetuus, quod non ab omnibus conceditur.

In censu perpetuo haec necessaria sunt, 1. ut res, cujus fructus venduntur, apud venditorem sit. 2. ut fructus illos, in quos jus emitur, verè reddat. 3. ut, re pereunte, vel fructibus, sine venditoris culpa, emptor non possit fructus percipere. 4. ut pretium sit justum. 5. ut emptor census non obliget venditorem, ut redimat.

Ex natura non esse necesse, ut res, cujus fructus venduntur, sit certa, & suis finibus circumscripta; sed ex constitutione Pii V. neque necesse est ex natura, ut in censu redimibili, venditor facultatem habeat redimendi censum, per partes pretium reddendo.

De iustitia emptionis census.

Quidam cupientes effugere periculum fructuum rei, petunt a venditore, ut tutos fructus efficiat, obligando sua omnia bona, & personam, & fidejussores etiam adhibendo, ut bona omnia ad illorum fructuum certitudinem obligent. Hic contractus licitus est approbatusque ab Apostolica Sede, quibusdam circumstantiis adhibitis. 1. Ut res certa signetur, supra quam census constituatur, & hæc solum censui obligata maneat. 2. Ut hæc pereunte, venditor ad censum solvendum non obligetur. 3. Ut emptor totum pretium, quo census erit, statim ac emit, venditori solvat. Hæc secundum jus naturæ. Post constitutionem Pii V. non possunt fieri allucurationes, & fidejussiones ejusmodi, ut re censui subjecta pereunte fortuito casu, censuarius census solvere cogatur.

De quibusdam circumstantiis in censibus.

Solet statui pœna, ut si venditor per duos, aut tres annos pensionem non solverit, supra quam est census, spolietur. Quæ iustè exigitur, ut si proportionata culpæ, & venditor reverà in culpa sit.

In censu perpetuo redimibili solet adjungi pactum, ne per tres primos annos redimi possit; quod licitè fit, si emptor augeat pretium, quo census emit.

In eodem censu apponi solet, ut nisi intra certum tempus redimatur, sit irredimibilis. Quod si sit conditio, contractus est: ob hæc tamen conditionem venditor debet pretium minuire; si sit pœna, videtur usurarius. Hæc locum non habent post Bullam Pii V. irredimibiles census prohibentem.

Cùm venditor pensionem non solvit, solet emptor eam pretium facere, census augens: quæ circumstantia illicita est, cum venditor impotens est, & sine culpa non solvit.

Circumstantia, ut venditor in emptione census anticipatam pensionem solvat, illicita est.

In nullo temporali censu venditor ad capitale reddendum obligari licitè potest. In censu temporali, ad certum tempus, non debent omnes pensiones simul sumptæ excedere capitale.

le; nisi pensio incerta esset, quòd augeri minuique potest.

Quæres: An census personalis sit licitus. Anton. 2. *sum. tit. 1. c. 19.* & Angles *v. usura.* putant esse illicitum. Verùm probabilior est sententia Sot. *lib. 6 de just. & jur. qu. 5.* Bannes *q. 78. a. 4. tract. de censib.* Covar. esse ex natura rei licitum, licet practice sæpè possit esse usurarius. Probat, quia census realis idè est licitus, quia fundatur in re fructifera, cujus fructus vendi possunt; sed persona hominis, ut artificis, vel agricultor, potest etiam esse fructifera: ergo. 2. quia *Deuter. 12.* præcipitur filiis Israel, ut solvant decimas manuum suarum; & in jure Canonico *exp. non est. tit. de decim.* jubentur fideles decimas solvere ex operibus personalibus, ut ex militia, negotiatione; ergo exiguntur tributa à personis; ergo jus personale est etiam pretio æstimabile. 4. Rusticus accepto pretio potest alicui suam locare operam, vel in perpetuum, vel ad certum tempus; ergo potest alius labores illos, vel operam emere, ac proinde vertere in censum. Dices, Martin. V. & Calixt. III. *loc. cit.* videntur prohibere census personales. Resp. cum Sot. & Covar. illos non prohibere census personales, sed prohibere tantum quosdam census reales.

Quæres: An emptor, vel censualista possit obligari ad revendendum censum. Resp. cum *Med. l. c.* posse obligari, & quidem, ut vel totum censum, id est, partem censûs, eo pretio, quo ipse emit, vel quo tempore redemptionis æstimabitur, revendat. Prob. 1. Quia licet mihi vendere domum cum pacto de revendendo; ergo etiam cum eodem pacto licet revendere censum, cum par sit ratio. 2. Si non liceret, esset, quia emptor tali obligatione gravatur: at gravamen illud potest compensari minori pretio emendo ipsam pensionem. 3. Venditor potest licitè obligare emptorem, ut sibi vendat aliquem censum, à se tamen ei antè non venditum. Ergo etiam potest obligare ad vendendum eum ipsum, quam antè vendidit. Patet conseq. Quia aliàs sequeretur, cum ipsum vendendo censum, factum esse deterioris conditionis, quod dici non potest.

Quæres: An possit etiam venditor obligari ad redimendum; ac proinde census utrimque redimibilis possit esse licitus. Sot. & Covar. *l. c.* negant posse hoc fieri, vel obligare venditorem. Et ratio eorum est, quia ubi est obligatio reddendi capitale, est mutuum; ergo ille contractus esset usurarius.

rarius. At probabilior est sententia contraria, *Medin. q. 15. de usur. Major. dist. 15 q. 41. Joan. Gerson. de contract. p. 2. Abul. in 2. 25. Math. q. 209. Gabr. in 4. dist. 15. q. 12. & Covar. q. 11. 84.* Et probatur 1. In contractu communi emptionis & venditionis, emptor potest emere domum, cum pacto revendendi, ex parte venditoris; modo propter hanc obligationem emat carius, ut docent omnes: ergo idem licebit in censu. Probat, *conseq.* Quia in censu utrimque redimibili est etiam vera emptio; si enim fructus pereunt, pereunt emptori. *Resp.* quidam cum *Panorm. c. illa. t. de pignor.* id posse fieri, quando emptor computat fructus medii temporis in sortem, quam repetit à venditore. Verùm hæc responsio est insufficientis, Nam primò emptor propter jus redimendi potest dare majus pretium pro suspensione, sicut in contractu societatis, ratione assurance, diximus evenire; ergo non opus est illos fructus computari in sortem. 2. Venditor retinet fructus pretii ab emptore; ergo etiam emptor potest retinere fructus census, ut domus, agri. Nec valet, si dicas, agrum esse rem fructiferam, non pecuniam. Nam fieri potest, ut pecunia æquè sit fructifera, si exponatur negotiatori. 3. Si emptor velit ab emptore iterum illum censum emere, potest emptor non computatis fructibus suum pretium recipere, illos enim fructus, uti ex re propria jam à venditore alienata perceperat. Potest ergo idem facere obligando venditorem saltem consentientem. Patet *conseq.* Quia quod spontè potest inter aliquos fieri, potest etiam fieri ex obligatione, modo gravamen compensetur. Ad rationem *Soc. Resp.* negando antecedens, quia qui accipit rem commodatò, & in deposito, potest etiam obligari ad redimendum capitale, etiam si casu, & sine culpa pereat, & tamen idè non esse mutuum. Sed objicies: In Comitibus imperii ann. 48. sub Carolo V. hunc contractum esse vetitum, tamquam usurarium. *Resp.* Hoc decretum Imperii duabus de causis nondum obligare. 1. Quia non est promulgatum in singulis provinciis, quod requiritur ad Leges Imperiales. 2. Quia non est à majori parte populi receptum.

Quæres: An sit licitus census vitalitius temporalis, id est, ad vitam hominis constitutus, ut si, v. g. adolescens aliquis, ut tranquillius vivat, monasterio alicui offerat 100. aureos, ut quotannis ab eodem recipiat 48. aureos; ita tamen, ut post mortem ejus summa capitalis maneat monasterio. *Henric.*
quod

quodl. 1. q. 39. & quodl. 2. q. 19 putavit esse contractum usurarium, eò quòd sit periculum, ne venditor census desideret mortem emptoris, & contra emptor desideret nãmium prolongari vitam, ac plius inde accipere, quàm valeat summa capitalis, quæ intentio est usuraria. Sed contraria sententia est communis, Ant. 2. p. sum. t. 1. c. 8. §. 11. Et probatur, quia in hoc contractu non est mutuum, nec salva manet summa capitalis; ergò abest omnis suspicio usuræ. 2. Quia in hoc contractu est vera emptio & venditio; nam primò in eo emitur pro pretio jus annui redditus, tamquam, ut ita dicamus, merx; deinde æqualis est omnis conditio emptoris, & venditoris, cum tam emptor quàm venditor possit lucrari.

Quæres: An emptio hujus census possit esse licita ad vitam venditoris, id est, ut emptor non diutius fruatur pensione, quàm venditor vivit. Resp. Illam emptionem, si debita adsint circumstantiæ, esse licitam, ut benè docet Contr. Medin. & alii; imò magis esse licitam, quàm priorem; quia in hac non est periculum, ut unus desideret mortem alterius.

Cessatio à divinis.

1. Cessatio est omissio & desistentia à divinis officiis, ab administratione Sacramentorum, & sepultura laicorum: duplex est, una generalis, quâ prohibentur divina in loco universalis, ut in regno, civitate, castro, &c. altera particularis, quâ prohibentur in loco particulari, ut in una vel pluribus Ecclesiis. Cessatio non est censura, sed fertur per modum simplicis prohibitionis, & comminatoriè tantum. tom. 1. de cessatione à divinis, disp. 6. punct. 1. n. 2. & seq.

2. Causa efficiens quæ potest imponere cessationem est Papa, Episcopus, & Capitulum Sede vacante: nam cessatio pertinet ad forum contentiosum, cui præest Papa, & Episcopus Concilium item provinciale & diœcesanum potest cessationem imponere. *Ibid* punct. 2. num. 1.

3. Forma ferendi cessationem hæc potest esse: *Nos ob talem causam civitatem vel Ecclesiam abstinere præcipimus à divinis officiis.* In ferenda cessatione hæc condiciones ferventur; ut delictum sit manifestum & notorium, ut admonetur, ob cuius culpam ferenda est cessatio, ut pareat & satisfaciatur; nisi ferens cessationem, & ille contra quem fertur

tur

tur, intra mensem se componant, & adeant Summum Pontificem per se, vel per Procuratorem. Qui cessationem tulit, potest transacto mense, postquam iter ad Summum Pontificem suscepit, tollere cessationem. *Ibid. n. 2. & seq.*

4. Causa materialis proxima ob quam cessatio imponitur, est delictum & culpa manifesta; quæ valde gravis esse debet, & gravior quàm sit ea, ob quam ponitur interdictum. *Ibid. n. 5.*

5. Finis remotus cessationis est resipiscentia & emendatio illius, cujus causa lata est cessatio. *Ibid. n. 6.*

Cessationis effectus.

6. Effectus cessationis est, ut tempore cessationis tam generalis, quàm particularis abstineatur à divinis officiis publicè recitandis: ut ab horis Canonicis publicè persolvendis, à celebratione Missæ, &c. etiamsi servetur moderatio: deinde tempore cessationis Sacramentum Ordinis, aut extreme Unctionis non confertur laicis, aut clericis; secùs dicendum de aliis Sacramentis ob illorum necessitatem, maximè de Sacramento Baptismi. Non videtur licitum tempore cessationis contrahere matrimonium. Præterea cessatio privat laicos sepultura sacra, saltem quoad divina officia, etiam quoad eos qui habent privilegium sepulturæ pro tempore interdicti. Violans cessationem, graviter peccat, & incurrit irregularitatem, vel excommunicationem. *Ibid. p. 3. n. 1. usque ad 12.*

7. Ille cujus causa lata est justa cessatio, tenetur ad reficienda omnia damna clericis, qui coacti fuerunt servare cessationem, & distributiones amiserunt, vel alia damna passi sunt. *Ibid. n. 12.*

Charitas.

1. Charitas est virtus supernaturalis, omnium virtutum excellentissima, quâ Deus super omnia diligitur. Tenemur Deum diligere super omnia apprehensivè, non verò intensivè; propterea diligendus est tamquam finis ultimus omnium rerum; alioquin Deus non diceretur diligi super omnia, si dilectio illius referretur ad aliquid aliud, tamquam ad ultimum finem. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum. disp. 3. quæst. 4. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. Præceptum charitatis negativum semper obligat; affirmativum autem obligat dum insurgant tentationes odii Dei, & periculum adest illis consentiendi: & quando actus contritionis ex imperio claritatis eliciendus est. *Ibid. p. 2.*

n. 1. & 2.

3. Tenemur ex charitate proximum diligere, imò & inimicum; per se tamen loquendo non tenemur inimicum nobis obvium salutare; peccaret tamen mortaliter, qui inimicum salutantem non resalutaret, si inde sequatur scandalum, aut existimetur notabilis contemptus, spectata circumstantiâ temporis, loci, personarum, & consuetudine patriæ. *Ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

4. Charitas obligat ad subveniendum extremæ necessitati spirituali proximum cum vitæ aut facultatum periculo; fecus dicendum, si non adsit necessitas extrema spiritualis. Item tenemur ei eleemosynam facere dum extremâ necessitate laborat; sed non tenemur pauperes inquirere. *Ibid. punct. 4. n. 2. & 4. & punct. 6. n. 3. & 10.*

5. Possumus, sed non tenemur vitam nostram periculo exponere pro vita temporali amicorum; modò Reipubl. vel alius damnum inde non sequatur. *Ibid. punct. 4. n. 6.*

6. Unus proximus magis diligendus est quam alius; pater & mater magis quam frater, aut creditor; uxor quam soror. *Ibid. punct. 5. n. 1. & seq.*

Facienda est eleemosyna pauperi, etiam extra necessitatem ipsius extremam, vel quasi extremam de superfluis vitæ & statui, id est, in gravi necessitate; quare peccant Advocatus, v. g. & Medicus, non subveniendo indigenti ipsorum operâ. Adverte tamen habentem superflua vitæ, sed non statui, non teneri in gravi vel communi necessitate eleemosynam facere; fecus in extrema, vel quasi extrema; modò non sit probabile periculum, ut nos etiam in eandem incidamus. *Ibid. punct. 6. n. 9. & 11.*

8. Si multi divites norunt alicujus indigentiam, singuli tenentur subvenire; quamquam uno faciente eleemosynam, cæteri manent exempti. *Ibid. n. 12.*

9. Debitor extremam patiens necessitatem, non tenetur per se loquendo restituere rem acceptam, seu solvere debitum creditori simili necessitate laboranti, sive rem acceperit medio contractu, sive sine prævio contractu; quia extrema necessitas omnia reddit communia; licet multi arbitrentur

trentur debitorem teneri tunc restituere domino. *Ibid. num. 14.*

10. Qui tradit aliquid contractu mutui, aut commodati, non satisfacit præcepto eleemosynæ, quo tenetur eleemosynam facere simpliciter indigenti. *Ibid. n. 15.*

11. Qui aliquid accepit, seu justè seu injustè ante necessitatem extremam, illudque consumpsit in necessitate extrema, tenetur transactâ necessitate illud restituere; secus si aliquid accepit in ipsa extrema necessitate, illudque totum in eadem necessitate consumpsit, ita ut transactâ necessitate nihil amplius supersit. *Ibid. n. 16.*

Possumus, sed non tenemur, cibum illi præbere, qui damnatus est, ut fame pereat. *Ibid. n. 17.*

13. Eleemosyna facienda est extremè indigentibus, sive justis sint, sive injustis, sive infideles, sive fideles, sive sint amici, sive inimici privati; dummodò nobis non proveniat grave damnum illis subveniendo. *Ibid. n. 18.*

14. Posuntne excludi peregrini à civitatibus? Possunt, si hoc fiat justa & rationabili de causa, ne videlicet morbos, aut corruptiones, prodionesque inferant. *Ibid. n. 19.*

15. Eleemosyna extra necessitatem extremam fieri non potest de injustè acquisitis, ex, gr. de acquisitis per usuram; si injustè acquisita, eadem numero restituenda sunt dominis. *Ibid. n. 22.*

16. Habens bona fisco addicta ob aliquod crimen, potest ante sententiam pauperibus eleemosynam facere, modò id non fiat in fraudem fisci. Item tutores & curatores eleemosynas moderatas facere possunt ex bonis eorum, quorum curam habent, juxta rationabilem eorum voluntatem. Item qui eleemosynam accipit in pauperes distribuendam, potest eam sibi applicare, modò indigeat, nec aliter constet de mente domini. *Ibid. n. 23 & seq.*

17. Qui denegavit eleemosynam pauperi indigenti, cui tenebatur subvenire, non tenetur transactâ necessitate aliquid illi restituere; nec obligatur ad extinguendum debitum quod pauper contraxit cum aliis, dum existeret in extrema necessitate: hic enim non peccavit contra justitiam, sed contra charitatem. *Ibid. num. 29.*

18. Tenemur ex præcepto naturali & divino corrigere proximum indigentem correctione, quoties adest cognitio certa peccati, spesque emendationis, nec adest aliquis ma-

gis idoneus qui hoc munus obeat. Correctio differri potest ad tempus quo speratur fructus, imò correctio levioris peccati prætermitti potest, ut delinquens resipiscat à majori. *ibid. punct. 7 n. 179 & 10.*

10. Peccantem ignorantia viacibili tenemur admonere, si subsit spes emendationis; secus dicendum de peccante ignorantia invincibili, quoties non tenemur ex officio admonere; intellige etiam tunc, si adsit spes emendationis. *ib. n. 11.*

Vitia charitati opposita, odium, invidia, accidia, &c.

20. Odium Dei, seu desiderium mali in Deum, est peccatum omnium gravissimum, cum privet perfectione actus charitatis, qui est omnium præstantissimus; parvitasque materiæ non excusat à mortali in peccato odii. *ibid. punct. ult. §. 1. num. 1 & 3.*

21. Similiter odium proximi est peccatum contra charitatem ex suo genere mortale; quamquam fieri potest veniale ob imperfectum animi consensum, vel ob materiæ parvitatem, Differt specie ab odio Dei; idcirco in confessione aperiendum est, an odium fuerit in Deum, an in proximum. *ibid. num. 6. & 10.*

22. Peccatne peccato odii qui rebus alienis malum exoptat? Peccat si exoptet huiusmodi malum ex displicentia personæ, & per ordinem ad personam. *ibid. num. 9.*

23. Ex bono motivo honestoque fine licitum est sibi malum optare, non verò inferre. *ibid. n. 11.*

24. Invidia est inordinata tristitia, qua quis dolet de bono alicujus, non quatenus est bonum illius, sed quatenus videtur diminuire propriam excellentiam. Est peccatum ex genere suo mortale, & contrarium charitati; quia charitas gaudet de bono proximi: invidia verò tractatur de bono proximi, debetque connumerari inter peccata capitalia, quia ex ipsa tamquam ex capite multa alia peccata, ut odium proximi, susurratio, detractio, &c. originem ducunt. *ibid. §. 2. num. 1. & seq.*

25. Accidia est tristitia; seu tædium rerum spiritualium; ut si quem tædeat pœnitentiam agere ex quadam pœnitentiæ nausea; aut si nollet concionem haberi, aut jejunium esse ob difficultatem jejunii. Est peccatum ex suo genere mortale, charitati oppositum, appellaturque capitale (ex ea enim oriuntur, odium spiritualium, rancor, pusillanimitas,

H

despera-

desperatio, torpor) potest tamen reddi veniale ex levitate
materiae. *ibid.* §. 3. *nu.* 1. & *seq.*

26. Discordia est inordinata dissensio voluntatis à volun-
tate alterius, cui consentire deberet; ut si proximus velit ali-
quod bonum, tu verò sine rationabili causa cupias ipsum e-
jus boni consecutionem non obtinere. Differt à contentione
veluti effectus à causa, cum contentio originem trahat à
discordia seu dissensione voluntatis. Est autem contentio al-
teratio verborum cum aliquo contra veritatem ad ipsam
veritatem oppugnandam; & sicut discordia est peccatum
mortale ex suo genere, ita etiam contentio, quamquam per
accidens reddi potest veniale. *ibid.* §. 4. *nu.* 1. & *seqq.*

A D D I T I O.

Infantem alioqui sine baptismo moriturum, teneris cum
vitæ tuæ periculo baptizare, secundum quosdam; quod alii
probabiliter negant; nec enim cum tanto damno debetur ei
tale officium, alioqui & mater gravida teneretur permitte-
re se secari, ut fœtus baptizaretur, alioqui sine baptismo mo-
riturus; quod nemo dicit.

Fu, *ver. Episc.* n. 4. & D. Tho. vide Tolet, *l.* 4. *c.* 10. *n.* 4. P. N.
l. 2. *c.* 3. *n.* 144. Lopez *l. c.* (Negant) Sot. *de teg. secret. memb.* c. 2

Proximum à mortis corporalis periculo, etiam invitum,
teneris liberare, si possis; non autem à peccato, si non possis
sine tuo gravi incommodo.

Nav. *cap.* & *num.* 24.

Damnatum justè ad mortem non teneris, etiam si possis,
pecunia redimere; nec enim ipse se teneretur redimere,
quòd si redimas, potes accipere tibi in servum perpetuum.
Quòd si injustè damnatum redemisti, potes quidem in multis
casibus, in servum accipere; sed ipse se potest redimere.
Navar. *cap.* 25. *n.* 95 Nav. *l. c.* *n.* 17 Justo damnato, ut pereat
fame, non teneris cibum præbere.

Potes proximo optare malum corporale ad salutem ani-
mæ: & mortem, ob Reip. bonum; & hosti tibi alioqui valde
nocituro, mortem non odio, sed ad vitandum damnum
tuum; item de morte ejus gaudere, ob bonum inde secu-
tum. Navar. *c.* 15. *n.* 10.

Circhius

Clericus.
Circumcisio.

115

Vide v. *Baptismus.*

Clastrum.

Vide v. *Monasterium, Moniales, Religiosi.*

Clausura

Vide v. *Monasterium, Moniales, Religiosi.*

Clericus.

Vide v. *Censura Degradatio. Excommunicatio, Officium divinum, Ordo. Suspendio.*

1. Clericus significat sortem seu hereditatem, eò quòd Deus peculiariter sit illius fors sive pars: obligantur clerici gestare habitum & tonsuram: nec excusatur à peccato mortali, qui initiatus majoribus ordinibus, aut habens beneficium, non gestat tonsuram vel habitum ad longum tempus absque iusta causa. Peccant ergo à fortiori clerici gestantes arma absque iusta & rationabili causa. *tom. 1. de Sacramento Ordinis, disp. 8. quæst. unic. punct. ult. n. 1. & seq.*

2. Debent prætereà clerici initiati sacris ordinibus recitare Horas Canonicas, & servare castitatem. *ibid. n. 8.*

3. Clerici exempti sunt à laica potestate. *ibid. n. 9. & to 2. circa 8. Decal. præcept. disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 2. & seqq.*

4. Clericus qui primam tonsuram eo tantùm fine recipit, ut fruatur privilegio clericali, non peccat mortaliter. *tom. 1. de Sac. Ord. disp. 8. quæst. unic. punct. ult. n. 10.*

A D D I T I O.

Clericus in sacris potest conveniri coram iudice sæculari in civilibus, de licentia Episcopi sui Sylvest. *v. iudex n. 4.*

Potest clericus in crimine deprehensus capi à sæculari iudice, ut Ecclesiastico tradatur; potest & noctu capi, si cum armis incedat; præsumitur enim velle delinquere, in quo potest impediri etiam per sæcularem potestatem. *Quin*

H 2

enim

etiam potest à quovis sæculari teneri clericus, & includi, ne lædat alterum.

Possit etiam fugientem, vel de fuga suspectum, capi à creditore, ut tradatur judici Ecclesiastico, tenet Sylv. *excom.* 6. q. 14. Navar. c. 27. nu. 82. qui tenet esse Panorm. & communem in cap. *cum non ab hom. de jud.* (Noctu) Nav. l. 5. cons. 27. alias 44. de sent. excom.

Clerici tenentur legibus civilibus rei publ. in qua degunt, modo non impediunt officium Ecclesiasticum, & libertati Ecclesiasticæ non repugnant. Et hoc modo solum via directiva, non autem coactiva Host. cap. fin. de solv. Covar. 2. p. epit. c. 6. in princ. n. 20. Dried. lib. de lib. Eccles. c. 9. Sot. lib. 1. de just. q. 6. art. 7. Cast. lib. 1. de vig. pæn. cap. ult. & alii.

Clerici bona possunt per judicem Ecclesiasticum confiscari, in casibus, quibus laici sic puniuntur.

Clericus calumniosus accusator debet privari officio, & verberatus in exilium mitti.

Clericus non potest consentire in judicem Ecclesiasticum non suum, sine licentia sui Episcopi.

Clericus pauper non tenetur cedere bonis Nec pro debito non ex delicto contracto potest conveniri ultra quam facere potest, nec, si est in sacris, puniri corporaliter pro debito, quod potest solvere. Cov. l. 1. c. 4. var. resol. n. 4.

Potest, qui est in sacris, aut beneficiatus, advocare coram judice Ecclesiastico; at coram sæculari solum in causa propria, vel Ecclesiæ, vel miserabilium, vel propinquorum, [qui alium advocatum commodè non possunt habere] usque ad quartum gradum. Non potest autem esse laici procurator generalis, sed solum in aliquo negotio: nec locum tenens Principis sæcularis, sed potest esse consiliarius: nec luci gratia negotiari per se, sed ob suam, aut suorum necessitatè. Non est autem negotiari vendere aliquid carius, quam emisti, nisi ad id emisses Potest & per alium honeste negotiari, & per se vendere, arte honesta à se facta. Non potest verò gestare arma offensiva, nec interesse executioni sententiæ capitalis, nisi officii spiritualis causa; nec exercere medici, aut chirurgi officium, ubi opus sit adustione, aut incisione, nisi cum pauperibus, aut alioqui sua, aut proximi necessitas postulet; nec venari, nisi causa recreationis sine strepitu; nec accipitres ad id alore, aut falcones; nec aleis ludere, nisi modicè, causaque recreationis.

Ludere

Ludere autem in magna quantitate ob lucrum, Navarr. mortale existimat. Vide Sylv. *verb. advocatus* §. 2. Nec lucri negotiationem. *dist.* 88. Mol. *dist.* 342. possunt tamen locare prædia colenda ad annos tres. Per alium.) Mol. *l. cit. nu.* 10. Joan. Medin. *q.* 20. *de rest. c. clericus. l. & 2. 91. dist.* Vide Navarr. *c. 21. n.* 111 Lop *n.* 1. *l. c.* 23 Ludere autem) Nav. *c.* 20. *n.* 9. De negotiatione licita & illicita Clericis, Mol *in d. st.* 347.

Clericus in maxima necessitate potest cogi ab Episcopo civitatem custodire; potest ob invasa ab hostibus pugnare; nec erit irregularis, si hostem occidat, aut mutilat.

Quæres: Sitne clericis licitum studium Medicinæ, vel Juris Civilis. Resp. Studium sæcularium litterarum, ut Philosophiæ, esse licitum Clerico, ut habetur *cap. turbas. c. legitimus. dist.* 37. nisi aliquis magnus abusus in eo fiat, ut si Episcopus aliquis, qualem reprehendit Gregor. loco sacrarum litterarum suis prælegeret Grammaticam. Resp. 2. Legis studium, Medicinæ & Chirurgiæ vetitum esse religiosis, & multis clericis, Archidiacon. Diacon. Prælat. Præposit. Cantoribus, & Personatus habentibus idque sub pœna excommunicationis, nisi ab eo studio superfederint. Resp. 3. Exercitium Medicinæ & Chirurgiæ Clericis omnino esse prohibitum, maximè quando ferrum adhibent incisione, aut adustione, juxta *c. sententiam*; possunt tamen causa pietatis erga miserabiles personas, vel cognatas, si vitæ periculum absit, hoc exercitio uti, ut Navarr. Sylv.

Num clerici possint tabernarii, vel macellarii esse. Resp. Jure Canon. vetitum esse ingredi tabernam, extra necessitatem, ut si sint in itinere, ut habetur *c. non oportet.* & clerici edendi, *d.* 44. & *can. clerici de vit. & c.* Resp. 2. Clericos non posse esse hospites, & laniones; & si abstinere nolint, sunt ab officio deponendi, *c. nulli clerico. d.* 44. & omni privilegio clericali privandi, *cap. diocesani, de vit. & hon. in clement.*

Quæres: An clerici possint esse histriones, & personas in comædiis sustinere? Resp. 1. Secundum Canones non posse esse histriones, mimos, jocularios publicos, & ipso jure omni privilegio clericali privantur, si per annum, aut breviori tempore post admonitionem, hanc artem exercuerint. (Publicos.) Quia honestæ recreationis causa, vel valetudinis, inter privatos parietes histrionem agere minimè prohibetur, ut habet gloss. *in c. cleric.* Resp. 2. Clericos non posse ludis publicis histrionum interesse, ut habet *c. clerici.*

& in *syn. jur. 3. c. 7.* & Concil. Cabidon. *c. 8.* & Conc. Mogunt. ult. *cap. 75.* Pius V. in *const. an. 66.* sub gravi pœna prohibuit, ne clerici comedias, fabulas, hasiludia, aut ludicrum ullum profanum agant, vel spectent. Resp. 3. Non decere, ut clerici existentes in sacris ordinibus etiam personas agant in comediiis sacris, & honestis, minimè tamen decere religiosos: licet tamen tam clericis, quàm monachis, hujusmodi spectaculis interesse, quia sacra sunt & honesta, & apta ad movendū

Quæres: An si clericus emat vineam, vel prædium, obnoxium decimis, aliisve oneribus, teneatur præstare decimas. D. Anton. 3. *p. tit. 24. c. 29.* putat non teneri. Rectius Panormitan. in *c. fin. de vit. & hon. cleric.* Cardin. *ibid. q. 6.* putat distinguendum, ut si prædium habeat annexum onus perpetuum, & invariabile, quòd clericus teneatur id sustinere; si autem non sit perpetuum, non teneatur, ut si accesserit ex nova aliqua disceptatione tempore belli, quando cujusque civis bona æstimantur, ut secundum cujusque opes fiat distributio.

Quæres: An quando clerici negotiationis causa, vel alia de causa, bona sua temporalia transferant alium in locum, teneantur solvere tributa sua laico. Resp. cum gloss. in *cap. quamquam. de censib. in 6.* eos non teneri ad tributum, cum bona acquisita ex fructibus suorum beneficiorum aliò transferunt. Si autem fructus bonorum patrimonialium transferant, & id faciant causa negotiationis, tenentur solvere tributum, sicut laici, si autem non faciant, nisi pro sua necessitate, non tenentur.

Coadjutor, Coadjutus.

Vide v, *Distributiones.*

Commodatum.

1. Commodatum (quasi datum commodo alterius) est contractus, quo res alteri conceditur ad certum usum. Ad commodatum requiritur mutuus consensus, ut tradatur gratis commodatario ad aliquem certum usum, & ad certum aliquod tempus, expressè vel tacite; & præterea ut dominium commodati perseveret apud commodantem; consequenter si pereat absque culpa commodatarii, non pereat

commodatario, sed commodanti. Tenetur autem commodatarius ad restitutionem ex levissima culpa, cum commodatum celebretur in favorem solius commodatarii accipientis, de casu autem fortuito non tenetur, secluso pacto, de culpa, & mora. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 16. punct. unic. n. 1. & seq.*

2. Expensæ ordinariæ factæ à commodatario durante tempore contractus commodati, pertinent ad commodatarium; nam cuius est commodum, ejus etiam est onus & incommodum. Extraordinariæ verò pertinent ad commodantem, modò non fuerint leves & exiguæ. *ibid. n. 4.*

Concubinatus, Concubinarius.

Vide v. *Fornicatio simplex,*
Conductio.

Vide v. *Locatio.*

Confessio, Confessarius.

Vide v. *Censura, Contritio, Denuntiatio, Excommunicatio, Matrimonium, Pœnitentia, Satisfactio, Sigillum.*

1. Confessio est legitima & sacramentalis accusatio de propriis peccatis facta Sacerdoti, ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem *tom 1. de Pœnitentia Sacramento, disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 1. n. 1.*

Sexdecim conditiones ad confessionem solent à Doctõribus enumerari sub his versibus:

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Hæ conditiones revocantur ad tria capita Primum est, ut confessio sit integra. Secundum, ut sit dolens. Tertium, ut sit vera, seu pura. *ib. punct. 2. n. 1. & 2.*

2. Pœnitens circa peccata mortalia tenetur tantam inquisitionem præmittere, quanta judicio prudentis viri iudicatur sufficiens ad omnia peccata in memoriam revocanda; non tamen idcirco tenetur maximam diligentiam adhibere ad hujusmodi inquisitionem, sive examen, sed sufficit

mediocris. Neque similiter tenetur pœnitens peccata sua scribere, etiamsi habeat lubricam memoriam; sicut neque tenetur statim confiteri, si prœvideat fore, ut nisi statim confiteatur, peccatorum obliviscatur. *ibid.* §. 1. n. 2. & seq.

3. Qui confessus est, non prœmissio examine conscientie, tenetur ad novam confessionem peccatorum, etiamsi suam negligentiam aperuerit in confessione, & à Confessario absolutionem obtinuerit: dummodo tamen Confessarius non suppleverit defectum examinis, per diligentem interrogationem; non tenetur tamen Confessarius pœnitentem interrogare, nisi advertat, pœnitentem silere peccatum per inadvertentiam, vel per oblivionem inculpabilem. *ibid.* num. 5. & s. 9.

4. Quæres, An Confessarius debeat pœnitentem absolvere, quem certo novit mentiri, dicendo se conscientie examine prœmissi? Resp. negativè, nam impenderet absolutionem indigno. *ibid.* num. 8.

5. Confessio sit *simplex*, id est, talis, ut superflua præmittantur, & amputentur inutilia; curetque pœnitens, ut clarè & distinctè fateatur sua peccata, ita ut Confessarius nõ solum illa intelligat quoad numerum, verùm etiam quoad species, circumstantias, & dubia. *ibid.* §. 2. n. 1.

6. Sit *humilis*, ita ut pœnitens peccata sua cum humilitate fateatur, & cum debita corporis compositione, v. g. genibus flexis, & aperto capite; invalida enim esset confessio illius qui peccata sua fateretur, se jactando, & gloriando in peccatis. *ibid.* n. 2. & 3.

7. Sit *pura*, quoad intentionem, ita ut non fiat ob pravum finem; sed potius spe remissionis obtinendæ, seu placandi Deum. *ibid.* num. 4.

8. Quæres, an peccet mortaliter, qui alteri confitetur peccata mortalia & graviora, ut retineat bonam famam apud priorem Confessarium, cui detegit solum leviora peccata? Resp. non peccare mortaliter, nisi finis sit mortalis. *ibid.* n. 5.

9. Sit *fidelis*, id est, vera, & sine fallacia, & deceptione: ita ut mendacium in confessione prolatum circa materiam necessariam sit peccatum mortale, irritamque reddat confessionem. Similiter invalidè confitetur, qui majorem numerum peccatorum mortalium in confessione exprimit, quàm reverà commiserit, nisi bona fides, aut simplicitas eum excuset. *ibid.* n. 6. & seq.

10. Sit *frequens*, non quia necesse sit necessitate mediæ, vel præcepti confiteri sæpius in anno, & extra mortis periculum, aut extra tempus suscipiendæ Eucharistiæ; sed quia opus consilii est, sæpius confiteri ob magnas utilitates & uberes fructus, qui ex frequenti confessionis sacramento percipiuntur. *Ib. n. 14.*

11. Sit *nuda*, id est, non palliata, aut verborum obscuritate & involucris velata. *Ib. n. 15.*

12. Sit *discreta*, scilicet ut pœnitens eligat Confessarium eruditum, & probum, qui sciat discernere inter lepram & lepram; deinde ut cautè confiteatur sua peccata, præsertim impudica & carnalia, non descendendo ad singulos actus, qui tamquam media & principia ad peccata completa solent adhiberi, ut sunt tactus & oscula respectu copulæ; sufficit enim explicare copulam tacitis osculis & tactibus, qui copulam præcesserunt. *Ib. n. 17.*

13. Sit *libens*, ita ut adsit voluntas & intentio confitendi; & ut confessio fiat cum omni voluntario excludente quolibet involuntarium. *Ib. n. 18.*

14. Sit *verecunda*, id est, ut pœnitens erubescat apud seipsum de turpitudine & scæditate animæ propriæ; non erubescat tamen confiteri peccata sua; & hac occasione observare debet Confessarius, ne pœnitentem deterreat verbis duris & asperis, ne illum retrahat à confessione. *Ib. n. 19.*

15. Sit *integra*, ita ut omnia peccata mortalia numquam aliàs confessa, sigillatim exprimantur. *Ib. n. 20.*

16. Sit *secreta*, id est, secreto fiat, & soli Sacerdoti: unde nemo tenetur per se loquendo confessionem facere per interpretem, illicitumque est, saltem sub veniali, confiteri peccata alio audiente, nam absque iusta causa prodigitur fama propria. *Ib. n. 21. & seq.*

17. Sit *lacrymabilis*, non quòd ad ipsam requirantur exteriore lacrymæ; sed quia necessarius est internus animi dolor. *Ib. n. 26.*

18. Sit *accelerata*, ita ut peccator sua crimina quamprimum confiteatur; non est tamen necesse ut peccator statim post peccatum confiteatur. *Ib. n. 27.*

19. Sit *fortis*, ita ut pœnitens non se finat tentationibus superare ad negligendam, & omittendam confessionem, vel ad aliquid præ pudore, vel timore in confessione præmittendum. *Ib. num. 28.*

20. Sit *accusans*, ita ut pœnitens se acêuset, sibi quæ impetret peccata; non verò ea laudet, aut excuset. *ib. n. 29.*

21. Sit *parere parata*, ita ut pœnitens paratus sit obedire Confessario in his, in quibus tenetur obedientiam præstare ut in vitandis occasionibus, in acceptanda pœnitentiâ, &c. *ib. n. 30.*

22. In confessione necessariò explicanda sunt peccata quoad species morales, non autem quoad species physicas; non enim tenetur species animalium explicare, qui peccatum cum animalibus commisit specie diversis; neque explicandi sunt actus non interrupti circa eundem finem; & qui peccavit divinando, satisfacere videtur dicendo, se toties peccasse divinando, quamvis non exprimat id, per quod divinavit. *ib. §. 3. difficult 1 n. 2. & seq.*

23. Aperienda est circumstantia in confessione, propter quam peccatum mortale fiat veniale, & è contra. Similiter exponens se periculo alicujus peccati, tenetur illius circumstantiam fateri, v.g. concupiscens feminam in communi, tenetur in confessione dicere se feminam in communi concupivisse, aut aliquam, cujus statum ignorabat. Et si hujusmodi circumstantiam mortalem pœnitens oblitus sit in prima confessione, tenetur illam in alia confessione iterum explicare; suntque omnia peccata mortalia distinctè explicanda quoad numerum; sufficet tamen uno verbo fateri numerum peccatorum unius speciei, puta, toties pejeravi, toties Missam non audiivi in die festo, &c. Unde qui fornicatus est, debet numerum fornicationum exprimere; & qui multoties furatus est, non satisfacit dicendo, se tantum surripuisse, si id surripuerit diversis vicibus interruptis. Similiter explicandi sunt actus odii sæpiùs repetiti, & moraliter interrupti. *ib. n. 6. & seq. & diffie 2 n. 2. & seq.*

24. Pœnitens tenetur numerum certum, & notabilem peccatorum in alia confessione aperire, cujus non recordabatur in prima: & Confessarius tenetur numerum personarum quantum potest exprimere, quorum confessiones successivè audivit in peccato mortali. *ib. n. 6. & 7.*

25. Audiens confessiones in peccato, non peccat mortaliter, si propositum habeat pœnitendi, antèquam pœnitentem absolvat. *ib. n. 8.*

26. Pœnitens tenetur ne confiteri peccata nota Confessario extra confessionem, & actus externos necessariò in confessione

fessione explicare? Resp. teneri; sufficit tamen explicare actum principalem, relictis minus principalibus; nisi essent principia & dispositiones alterius copulæ, & alterius peccati, quales sunt tactus & oscula post finitam priorem copulam. *ib. n. 10. & seq.*

27. Faciens confessionem generalem non tenetur confiteri omnia mortalia, aliàs ritè explicata; neq; satisfaceret qui carens mortalibus diceret in genere se venialiter peccasse, non explicata specie vel numero peccatorum *ib. n. 14. & 15.*

28. Potest absolvi, qui scit se peccatum admisisse, sed dubitat an illud mortale sit, an veniale: exhibet enim certam & determinatam materiam, quamvis non sit determinata, quo ad gravitatem peccati. *ib. n. 16.*

29. Pœnitens qui propter consuetudinem peccandi, non potest peccata sua quoad certum & determinatum numerum explicare, satisfacit dicendo, se talem peccandi consuetudinem tamdiu habuisse, v. g. pejerandi, blasphemandi, vel furandi toties in die; sicut etiam satisfaceret concubinarius, dicendo se tamdiu usum fuisse concubina loco uxoris; & meretrix explicando tempus, quo fuit omnibus exposita, si non recordetur numeri certi. *ibid. n. 18. & seq.*

30. Retinens rem alienam, quam potuit domino restituere, satisfacit, explicando tempus, quo rem detinuit, & domino non restituit. *ib. n. 21.*

31. Denique numerus peccatorum exprimendus in confessione, facile cognosci poterit ex multiplicatione actuum voluntatis moraliter interruptorum: tunc autem moraliter interruptitur actus voluntatis, quoties aliquis nec formaliter, nec virtualiter persistit in priori voluntate. *ib. n. 22.*

32. Circumstantia peccati aperienda est in confessione, quando mutat speciem. Circumstantia autem peccati est quædam conditio non pertinens ad substantiam actus peccati, sed aliquo modo attingens ipsum actum. Circumstantiarum autem aliarum, aliæ sunt impertinentes, aliæ augerentes, vel minuentes notabiliter; aliæ mutant speciem, quales sunt quæ de peccato mortali efficiunt veniale, & è contrâ; aut quæ novam peccati speciem addunt, ut est circumstantia voti castitatis in peccato luxuriæ; aut circumstantia loci sacri in homicidio, &c. *ib. difficult. 3. n. 1. & 2.*

33. Circumstantiæ ex quibus augeri vel minui potest peccatum, vel illi nova species addi, possunt ad has septem revocari, quæ hoc veru exprimuntur: *Quis,*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

34. Circumstantiæ notabiliter minuentes non sunt necessario exprimendæ, nisi speciem mutant : neque similiter aggravantes intra eandem speciem. *Ib. n. 3. 4. & 5.*

35. Vir carnaliter peccans, non tenetur in confessione dicere, se antea virginem fuisse, vel non fuisse: secus dicendum de eo, qui virginem concupivit, aut defloravit; tenetur enim circumstantiam virginis fateri, quamvis illam consentientem defloraverit. *Ib. n. 7. & 8.*

36. Confessarius carnaliter cognoscens pœnitentem, non tenetur istam circumstantiam aperire; nam copula cum pœnitente non habet specialem malitiam necessario exprimendam; modo Confessarius non sollicitaverit illam in confessione: secus dicendum de circumstantia affinitatis, quæ est exprimenda, imò verò explicandi sunt incestus. *Ib. num. 9. & 10.*

37. Conjugatus, qui peccavit cum soluta, aut alius cum moniali, debet has circumstantias aperire; similiter habens votum castitatis, si peccat cum femina eodem voto adstricta, tenetur utramque circumstantiam exprimere. *Ibid. n. 11. & seq.*

38. Qui fornicatus est cum tribus feminis, non tenetur dicere se tres feminas carnaliter cognovisse, sed satisfaciet dicendo, se ter fornicatum fuisse; explicanda tamen erit circumstantia injuriæ illatæ parti, vel superiori; sicut etiam tenetur numerum personarum explicare, qui plures uno actu percussit, vel diffamavit. Explicanda quoque est quantitas furti, & damni illati; nec satisfaceret, qui occiso homine diceret se hominem percussisse. *Ib. n. 14. & seq.*

39. Præterea qui fuit causa scandali, tenetur circumstantiam inductionis, & cooperationis ad peccatum explicare; quoties explicato actu principali, non est sufficienter explicata. & qui detrahunt coram pluribus, aut de rebus turpibus loquuntur, tenentur in confessione numerum exprimere personarum, quibuscum detractionis peccatum commiserunt. *Ib. n. 19. & seq.*

40. Consuetudo peccandi, aut circumstantia ingratitude, non est necessario explicanda in confessione. *Ib. n. 22. & 23.*

41. Omittens Missæ sacrum in die festo duplicato, satisfacit dicendo se Missam in die festo prætermisisse, etiamsi id fecerit causa studii; secus dicendum de eo, qui furaretur ad moechandum: tenetur enim hanc circumstantiam explicare; sicut & qui furatus est calamum, ut incitaret alterum ad blasphemandum, tenetur hujusmodi finis circumstantiam manifestare. *ib. n. 24. & seq.*

42. Circumstantiæ temporis, modi, durationis, &c. non sunt necessario exprimendæ. Unde qui peccavit in die festo, non tenetur hanc circumstantiam exprimere; quia circumstantia diei festi non superaddit peccato distinctam speciei malitiam. *ib. n. 28. & 29.*

43. Dubitans se peccatum mortale commississe, aut se veneream delectationem habuisse, tenetur ad confessionem illius dubii; & à fortiore tenetur quis peccatum confiteri, quod dubitat an aliàs sit confessus. Quæ diximus, intellige de dubio propriè dicto, non verò de opinione. *ib. diffc. 4. num. 1. & seq.*

44. Qui confitetur peccatum certum, de quo dubitat an aliàs confessus sit, tenetur hoc dubium in confessione explicare. *ib. n. 5.*

Causa excusantes ab integritate confessionis.

45. Tres sunt; ignorantia, vel oblivio; impotentia loquendi; & notabilis utilitas Sacerdotis, vel pœnitentis. *ibid. §. 4. n. 1.*

Excusatur pœnitens qui in puerili ætate conticuit aliquod peccatum, ignorans se teneri ad illius confessionem. *ib. n. 2.*

Similiter excusatur is qui ex oblivione non culpabili obliviscitur alicujus peccati. Idem dicendum de pœnitente, cui subito Confessarius contulit absolutionem, antequam integrè pœnitens fassus fuisset sua peccata. *ib. n. 3. & 4.*

Excusatur Confessarius qui non potest confiteri peccatum in confessione commissum, nisi complicem manifestet. *ib. m. 5.*

46. Mutus qui sua peccata confitetur signis & nutibus, absolvendus est, saltem tempore præcepti urgentis. Idem dic de extraneo loquente eo idiomate, quod à Confessario non
fatis

fatis bene percipitur, si desit alius Sacerdos, qui ipsius idioma melius percipiat *ib. n. 6.*

Est etiam absolvendus is qui poenitentiae sacramentum petiit, sed adveniente Confessario obmutuit. *ib. n. 7.*

47. Confessarius tenetur sub conditione absolvere poenitentem, qui in absentia Confessarii exhibuit signa contritionis; sed adveniente Confessario sensibus est destitutus, ut nullum exhibere possit signum, quo indicet se peccasse, & velle sibi poenitentiae sacramentum administrari; astantes tamen fatentur ipsum dedisse signa contritionis, aut confessionem petiisse: si tamen poenitens convalescit, tenetur in casu proposito iterum integrè confiteri. Non poterit tamen infirmum Confessarius absolvere, si ipso adveniente nulli adsint, qui fidem faciant petita confessionis, & infirmus non possit ullos nutus aut signa doloris exhibere praesente Confessario; sunt tamen qui contrarium sentiant, *ibid. num. 8. & seq.*

48. Poenitens potest aliquod peccatum mortale reticere ad evitandum grave incommodum proprium vel alienum, aut si probabiliter timeat sibi infamiae gravis periculum. *ib. num. 12.*

49. Infirmus qui laborat morbo contagioso, excusatur ab integra confessione, potestque validè absolvi auditis aliquibus tantum peccatis. *ib. n. 13.*

50. Poenitens potest imminente praecipuo annuae confessionis, aut in necessitate confiteri sua peccata, eo tacito, de quo grave periculum probabiliter timet. Quod si habeat unum tantummodo peccatum de quo timet periculum, non potest praecipuo mortis articulo illud in genere confiteri. *ibid. num. 14. & 5.*

51. Poenitens non tenetur in praedictis casibus confiteri venialia, tacito eo, de quo grave periculum timet; cum non sit praecipua confessio peccatorum venialium, sed mortali, *ib. n. 16.*

52. Confessarius potest existentes in naufragio, aut alio simili periculo, absolvere non auditis omnibus peccatis, dicendo, *Vos absolvo. ib. n. 17.*

53. Similiter potest confessarius absolvere infirmum, quem credit statim moriturum, audito uno tantum peccato. Idem dicendum quando infirmus nimis fatigatur in explicandis suis peccatis, *ib. n. 18. & 19.*

Caveat tamen poenitens plura peccata reticere, quam postu-

postulet justa causa, aut periculum imminens; quia confessio integrè facienda est, quantum moraliter fieri potest. *ibid.* nu. 20.

54. Quæres, an pœnitens teneatur statim oblata opportunitate peccatum justa de causa prætermisum confessioni subicere? Respondetur non teneri statim, nisi in ter tempus mortis, aut præceptum annuæ confessionis. *ib. n. 21.*

Confessio quando nam iteranda.

55. Ex duplici capite oritur obligatio iterandæ confessionis; ex defectu pœnitentis, & ex defectu Confessarii.

Defectus pœnitentis sunt; quando mortale peccatum voluntariè omisit, quoties debitum dolorem non habuit, quando doluit deserere occasionem proximam peccandi, quoties voluntariè prius absolutus fuit à peccatis quàm ab excommunicatione: nam in his omnibus prædictis casibus pœnitens tenetur iterare confessionem. *ib. punct. 3. n. 1.*

Excusatur tamen ab iteranda confessione, qui aliquod peccatum mortale in confessione prætermisit, putans non esse mortale. Et qui bona fide confessus est majorem numerum peccatorum, non tenetur cognito numero iterum confiteri. *ib. nu. 6. & 7.*

56. Confessio iteranda est ob defectum Confessarii absolventis, quoties Confessarius deficit in essentialibus: quamobrem confessio iteranda est in sequentibus defectibus. *ibid.* nu. 8.

57. Si Confessarius nondum initiatus Baptismo, vel sacerdotio, aut non habens jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, absolutionem conferat; secus dicendum de eo, qui communi errore, aut titulo colorato idoneus judicatur: nam is validè absolvit. *ib. n. 9. & seq.*

58. Iteranda est præterea confessio, quoties Sacerdos non habuit sufficientem intentionem absolventi, aut prætermisum est aliquod verbum necessarium in forma. *ibid. num. 12. & 13.*

59. Qui bona fide confessus est Sacerdoti indocto, non tenetur confessionem iterare; neque repetens confessionem, tenetur sigillatim omnia peccata repetere, si Confessarius sit idem; secus verò si sit distinctus. *ib. n. 14. & 15.*

60. Ex dictis sequitur confessionem, quæ non potuit una vice

vice perfici, sed iteratis vicibus perfecta est, validam esse. Similiter dicendum confitentem peccata Sacerdoti facultatem non habenti, satisfacere si eidem habenti postea facultatem eadem peccata in genere confiteatur: nam tali modo Confessarius venit in sufficientem cognitionem status peccantis. *Ib. n. 16. & 17.*

Confessionis obligatio.

61. Omnes fideles baptizati habentes peccata mortalia commissa post Baptismum, aut in ipsa susceptione Baptismi, tenentur confiteri. *Ib. punct. 4. n. 1.*

62. Pueri usus rationis compotes, habentes conscientiam peccati mortalis, & non tamen confitentes ante duodecimum annum, non sunt puniendi ea poena, qua puniuntur ceteri. *Ib. n. 2. & 3.*

63. Summus Pontifex etiam tenetur confiteri, non solum jure divino, verum etiam praeccepto Ecclesiastico; tenetur enim ex vi directiva, & ex honestate ad observantiam legum propria auctoritate constitutarum. *Ib. n. 4.*

64. Infideles aut Catechumeni non obligantur jure divino, vel Ecclesiastico ad confessionem sacramentalem: cum Ecclesia non exerceat iudicium, nisi in eos, qui prius per Baptismi januam ingressi sunt Ecclesiam. *Ib. n. 5.*

65. Fideles habentes peccata mortalia opere externo perpetrata, aut etiam habentes sola peccata interna commissa post Baptismum, tenentur ad illorum confessionem. Item probabiliter dubitans se mortaliter peccasse, tenetur fateri peccatum, de quo dubitat. *Ib. n. 6. & 7.*

66. Habens solum peccata venialia, non tenetur confiteri; debet tamen tempore Paschatis comparere coram proprio Parocho ad evitandum scandalum, & excommunicationem. *Ib. n. 8.*

67. Fideles tenentur peccata mortalia, commissa post Baptismum, confiteri non solum ex jure divino, verum etiam Ecclesiastico: nec potest Ecclesia cum aliquo dispensare, ut numquam confiteatur, vel ut non confiteatur in articulo mortis. *Ib. n. 9. & 11.*

68. Omnes fideles postquam ad annos discretionis pervenerunt, tenentur confiteri semel in anno; deinde quoties volunt sacramentum Eucharistiae sumere, si sint in peccato mor-

mortali: tertio, quoties existunt in articulo mortis, etiam si eodem anno confessi fuerint. *ib. n. 12.*

69. Hinc sequitur suscipientes periculosas navigationes teneri ad confessionem; sicut etiam tenentur milites instante prælio; & femina quæ primò paritura est, aut quæ aliàs peperit magno cum vitæ periculo: & infirmus graviter laborans, qui post confessionem peccavit mortaliter: & reus damnatus à iudice ad mortem; existit enim in probabili mortis periculo. *ib. n. 13. & seq.*

70. Si Ecclesia tempus confessionis non determinasset, facienda esset confessio ex præcepto divino, juxta prudentis viri iudicium. *ib. n. 17.*

71. Qui eodem anno, id est, ab uno Paschate ad sequens Pascha prætermittit confessionem & communionem, committit plura peccata, quia diverso tempore violat plura præcepta de re diversa. *ib. n. 18.*

72. Qui confitetur in Nativitate Domini, aut alio die, satisfacit præcepto annuæ confessionis. *ib. n. 20.*

73. Qui dubitat se non habiturum copiam Confessarii in articulo mortis, aut tempore constituto, tenetur confessionem præmittere. *ib. n. 21.*

74. Faciens confessionem informem, satisfacit præcepto confessionis: talis enim recipit sacramentum pœnitentiæ, quod licet sit informe, tamen validum est; secus dicendum de eo, qui non facit confessionem perfectam: talis enim non adimplet præceptum confessionis. Idem sentiendum de eo qui sua peccata confitetur, sed propria culpa non absolvitur. *ib. n. 22. & seq.*

75. Qui voluntariè non facit confessionem perfectam, subjicitur censuris, si quæ fortè latæ essent contra eos, qui confessionem prætermittunt; censetur enim contumax contra Ecclesiam. *ib. n. 25.*

76. Qui non est confessus anno præterito, tenetur hoc anno quamprimùm confiteri ex præcepto annuæ confessionis: annus enim non præfigitur ad finiendam, sed ad sollicitandam adimplerionem præcepti confessionis. *ib. n. 26.*

77. Qui non est confessus in periculo mortis, non tenetur quamprimùm confiteri, nisi periculum mortis adhuc perseveret. *ib. n. 28.*

78. Omittens uno anno confessionem, toties peccat, quoties non confitetur oblata opportunitate. Neque differens

confessionem anni præteriti usque ad præsentem, unica cõfessione utrique obligationi satisfacit. *ib. n. 30 & 31.*

79. Pœnitens non tenetur quamprimùm eodem anno confiteri peccata in confessione oblita, quorum recordatur post communionem. *ib. n. 32.*

80. Committens intra eundem annum aliquod peccatum mortale post confessionem tantummodò venialium, & communionem isto anno factam, tenetur illud statim confiteri, *ib. n. 33.*

81. Confessio facienda est Sacerdoti approbato ad excipiendas confessiones; neque potest parochus suis subditis prohibere, ne confiteantur huiusmodi Sacerdoti approbato, quia eo ipso quò talis Sacerdos, vel religiosus approbatus fuit ab Episcopo ad confessiones audiendas, censeatur data facultas parochianis, ut possint huiusmodi Sacerdoti peccata confiteri. Quare non potest parochus denegare Eucharistiam illi in Paschate, qui testatur se confessum Sacerdoti approbato. *ib. n. 34. & seqq.*

Causæ excusantes à confessione.

82. Excusatur, qui non habet, nec habere potest copiam Confessarii: qui probabiliter timet revelationem peccati, aut aliud grave detrimentum, licet debeat ea peccata confiteri, quæ probabiliter non timet manifestanda. Excusatur prætereà is, qui non potest secreto confiteri, aut qui non potest nisi per interpretem, præciso mortis articulo. *ib. punct. ult. n. 1. & seq.*

83. Qui non potest aliter quàm per scripturam confiteri, tenetur, quoties urget præceptum, si commodè & sine periculo confiteri potest per scripturam: secus dicendum si non possit sine gravi incommodo. Idem dicendum de eo qui habet lubricam memoriam: sic enim non tenetur cum gravi suo incommodo & periculo peccata scribere. *ib. n. 6. & 7.*

A D D I T I O.

In furto, & luxuria confitendum, an factum sit in loco sacro, vel cum re sacra: & si effusus sanguis, an in loco sacro. Quòd si quis occidit, addendum etiam fuisse patrem, fratrem, vel personam sacram; & si furatus, per vim etiam rapuisse,

puisse, si sic res facta. *Sot. l. c. vers. de die, &c. Met. l. c. Nav. ca. 6. num. 4 & 11.*

Furatus) *Navar. c. 17. num. 95.*

Actus peccatum concomitantes non sunt explicandi: unius tamen peccati continuatio explicanda; ut si quis per mensem moratus est in voluntate occidendi.

An Ecclesia vel religio aliqua possit condere leges, de repetenda confessione *Dionys. Carth. 4. d. 17.* putat non posse condere, & ideo rejiciendum statutum Cisterciensis ordinis, de confessione generali quotannis faciendâ, & ita docet *Mart. Leodorf. 2. p. 4. sentent. 48. dub. 19.* Ratio eorum est, quia multi DD. docent, Ecclesiam hoc non posse præcipere, ut quis secundo peccata confiteatur, ut *S. Thomas quodl. 1. a. 12.* & *Palud. in 4. d. 17. q. 5.* sed falluntur, quia teste *Navar. c. placuit. de poenit. d. 6. num. 118.* statutum illud ordinis Cisterciensis, à duobus Pontificibus fuit approbatum, ut est in eorum privilegiis. Pro intelligentia notandum, dupliciter posse aliquem obligari, ad eadem peccata secundo confitenda; 1. sine ullo prævio consensu confitentis, 2. cum consensu prævio.

Resp. 1. modò nec Ecclesiam, nec religionem posse legem condere de iteranda confessione eorumdem peccatorum: & hoc sensu DD. docent Ecclesiam id non posse præcipere, tum quia Ecclesia non obligat ad nimis ardua, tum quia efficere nequit, ut quod non est necessaria materia poenitentiae, sit de necessitate confitendum; hoc enim esset sacramentorum substantiam immutare, contra *Trid. sess. 25. c. 2.*

Resp. 2. Quòd 2. modo potest condere legem. Ita docet *Henricus, quodl. 7.* & *Major. in 4. d. 17. quest. 6.* *Navar. in cap. placuit.* & *Gerson alphab. 25. litt. f.* & ratio est, quia Papa potest sæcularibus dare facultatem confitendi religiosi, cum ea conditione, ut semel in anno eadem peccata confiteantur parochi, imò ita statuit *Mart. VIII. in extravag. quam habet Adrian. in 4. de confess. q. 5.* quod videtur confirmasse *Sixtus IV. in extravag. vices. tit. de treug. & pac.* quamvis secundum *Sot.* hujusmodi constitutiones non sint receptæ. Itaque statuta illa, quæ in religionibus sunt etiam de generali confessione faciendâ, obligant ex quadam conventionione, & pacto eorum, quoniam voluntariè religionem illam susceperunt, quatenus religionem ingredientes, eo ipso se ejus legibus subjecerunt.

Confessor.

Confessorem eligere potest, qui habet curam animarum, ut parochus, & prælatus religionis exemptæ, & Vicarius Episcopi, item Cardinalis, & Decanus, & Archidiaconus; potest & Cardinalis dare suæ familiæ confessorem. vid. Nav. in c. placuit cit. n. 29. & 38. Tol. l. 3. c. 15. n. 8. & 9.

Familiæ Episcopi confessor est parochus proprius, vel Ecclesiæ cathedralis; peregrinorum verò & vagabundorum & mercatorum, vel mercimoniorum vagantium parochus loci, vel alioqui approbatus confessor. Vide Tol. l. c. n. 11. & 12. De peregrinorum, & vagantium confessario Joan. Madin. q. 31 l. c.

Regulares non possunt laicorum, aut etiam clericorum sæcularium confessiones audire, nisi à suis prælatis ad hoc munus propositi, obtineant approbationem ab Episcopis, in quorum diocesis confessiones sunt audituri. Prælati tamen regulares possunt probabiliter audire sæcularium confessiones sine approbatione Episcopi. Ita DD. Salmanticensis apud Ant. de Spiritu S. de pæn. tr. 5. d. 13. sect. 4. n. 861 contrarium probabilius. Non potest Episcopus quem reperierit & doctrina, & aliis requisitis idoneum non approbare; neque quem prævio examine, ut simpliciter idoneum semel approbarit, rursus examinare; potest ejus tamen successor.

Probabilis est sententia, asserens regulares approbatos in una diocesi posse in alia, & ubique terrarum audire confessiones, Ita juxta Clem. 7. & Sixt. V. Cordub. Præpos. Corninch, Baun, Mart. à S. Joseph, Amicus, &c. quos refert & sequitur Ant. à Spiritu S. in direct. confess. de pæn. t. 5. d. 13. sect. 13. n. 869. contraria probabilior est.

Parochi possunt sibi eligere confessorem sacerdotem simplicem non approbatum ab Episcopo, etiam post Tridentinum conceditur hoc in cap. fin. de pæn. omnibus superioribus, habentibus etiam alium superiorem; sed hoc privilegium ample accipiendum est: ergo. Neque hoc privilegium à Tridentino revocatum, cum sit insertum corpori juri; cui non videtur derogandum. Anton. à Spiritu S. ib. d. 12. sect. 1. n. 835.

Quisquis sæcularis & regularis potest sibi eligere sacerdotem simplicem ad confessionem venialium, & mortalium

semel

semel confessorum: quia hæc potestas ab Ecclesia simplicibus sacerdotibus communicatur; nec ullus Papæ inferior hanc auferre potest. Ita cum Perez. Anton. à Spiritu S. *ubi sup. sect. 2. n. 840 &c.*

Moniales subjectæ regularibus possunt confiteri sacerdoti regulari vel sæculari, à suis Prælatibus regularibus designato; etsi non sit ab Episcopo approbatus; secus si sint subjectæ Episcopo, tum ab hoc approbandus. Ita cum multis Anto. à Spiritu S. *de pœn. tr. 5. d. 13. sect. 2. n. 856.* nec obstat Bulla Greg. xv. quæ necdum executioni mandata & publicata, sed suspensa. Idem *ibid.* Procedit hoc, inquam, in regularibus exemptis, secundum S. Cong. Card. declarationem in *constit. 18. Greg. xv. edit. an. 1621.*

Approbatus in uno Episcopatu, sive sæcularis, sive regularis an per bullam aut jubilæum possit eligi in toto orbe? alii dicunt confessorem eligendum esse approbatum ab Episcopo confessarii; alii ab Episcopo pœnitentis; alii ab Episcopo loci actu contentis; alii denique probabiliter dicunt sufficere approbatum à quocunque ordinario, quorum 15. vide apud Anton. à Spiritu S. *de pœn. d. 13. sect. 6. n. 903.*

Habere ordinariè duos confessores, alterum cui gravia dicas, alterum cui levia, ut probus habearis, quidam dicunt esse p. m. ob illud confessorem; iecus verò esse, si semel ac iterum fiat ob pudorem & verecundiam. Vide Vival. *l. c. m. 63.* Sylv. *l. c. §. 6. Vict. num. 96.* Navar. *c. 21. nu. 40.* dicit, id p. m. esse cum hoc fit in finem mortiferum; & bonum esse, si bonus sit finis, unum leviora, alii graviora explicare, ad retinendam existimationem, contr. Syl.

Potest confessor jurare se nihil scire, imò nihil se audisse tale in confessione, subintelligendo, sic, ut dicere teneatur: eodemque modo potest pœnitens jurare se nihil, aut nihil tale dixisse in confessione. Nav. *ib. n. 22.* Val. *p. 3. l. c.* Sic ut) Nav. *ib. nu. 10.*

Non est contra sigillū dicere, iste mihi confessus est peccata sua, vel peccata venialia, modò nihil prodat in particulari. Usurarius publicus non est admittendus ad confessionem antequam det cautionem de restitutione usurarum. vid. *c. quamquam de usur. l. 6. Tol. l. 5. c. 36.*

Confessor in gravioribus dubitationibus non potest quæcumque opinionem, quæ illi (per errorem forsitan) probabilis videri posset, amplecti; sed doctiores, piosque confessarios

rios consulere tenetur, ne temeritate ductus animabus periculum creet, sibi que exitium infelix, ex *Salon. in 2. 2. q. 6. art. 4. contr. 2. col. pen.*

Quando confessor uti possit notitia confessionis, docet *Sot. l. cit. de rat. teg. vide de hac re Sanchez fuse differentem, l. 3. a 16 n. 2. ubi relicta communi sententia, putat confessionem ita debere se gerere, ac si nihil audivisset ita Fu. confessor. n. 7. Bann. 2. 2. q. 33. art. 8. ad fin. Hoc suis præcipit confessariis Claud Aquav Præpos. Gener S. I. & Clemens VIII. anno 1594. die 26. mens. Jan Regularibus præcepit, ne notitia confessionis utantur ad externam gubernationem.*

Confirmatio.

Vide v. *Sacramentum.*

1. Confirmatio est sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum chrismate, & præscripta verborum forma, ad fidei robur consequendum. Hoc sacramentum fuit institutum in die ultimæ Coenæ, quo ad materiam & formam; non vero quando Christus parvulis manum imponebat. Non est necarium necessitate mediæ, neque necessitate præcepti. Unde non peccat mortaliter, secluso contemptu, vel alia circumstantia, qui confirmationem sponte omittit. Minister Confirmationis, regulariter loquendo, est Episcopus ordinatus; nullusque præter Episcopum potest consecrare Chrisma, *tom. 1. de Confirmatione, disp. 3. quasi unic. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. Summus Pontifex potest committere facultatem confirmandi simplici Sacerdoti Potest Episcopus degradatus & excommunicatus validè confirmare, etiam si ipse confirmatus non esset; non potest tamen Episcopus confirmare, & actus Pontificales exercere extra suam diocesim: secus dicendum de prima tonsura, quam conferre potest in alterius diocesi, *ib. punct. 2. n. 5. & seq.*

3. Abbas qui non est Episcopus, non potest confirmare, sicut nec simplex Sacerdos de licentia Episcopi tantum, *ib. n. 7. & 8.*

4. Susceptor hoc sacramentum habeat intentionem formalem, aut virtuales, similiter & gratiam. Nec suscipiens, nec administrans debet esse necessario jejunos; nec administrare necesse est in die festo, *ib. n. 13.*

5. An sit necesse conferre Confirmationem in Ecclesia, alii affirmant, alii negant: servanda in hac re consuetudo. *ib. num. 14*

6. Materia remota sacramenti confirmationis est chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum admixto balsamo, cuiuscunque loci sit, benedicto ab Episcopo consecrato. *ib. pu. 3, num. 1.*

7. Ex quo patet balsamum esse de necessitate sacramenti, & chrisma quod est materia Confirmationis, necessario benedicendum esse ab Episcopo, non à simplici Sacerdote. *ib. num. 2. & 3.*

8. Materia proxima Confirmationis est unctio facta in formam crucis necessario in fronte. Modica quantitas ad unctionem Confirmationis sufficiens est. *ib. n. 4. & seq.*

9. Forma Confirmationis est ista: *Confirmo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* In hac forma non licet mutare verba quoad sensum substantialem, requiriturque expressio sanctissimæ Trinitatis *ib. n. 7. & seq.*

10. Confirmationis effectus sunt, conferre gratiam habituales, & exprimere characterem. *ib. punct. 4. n. 1. & seq.*

11. Subjectum seu susceptor Confirmationis est omnis homo baptizatus, sive sit adultus, sive infans; etiam nondum rationis usum habens, sive amentes. *ib. n. 2. & seq.*

12. In suscipiente Confirmationem requiritur intentio & gratia. Recipientem primam tonsuram, vel ordines ante confirmationem peccare, sunt qui negent, sunt qui affirmet. Omissio colaphi non videtur peccatum mortale, impingitur tamen, tum ut confirmatus intelligat se debere pati injurias pro fide Christiana; tum ut recordetur se hoc sacramento semel initiatum esse. *ib. n. 7. & seq.*

13. Dubitans an sit confirmatus, iterum est confirmandus sub conditione, *si non es confirmatus. ib. n. 10.*

A D D I T I O.

Chrisma oportet esse unius anni, nam vetus comburendum in Ecclesia. *c. si quis de alio. de consecr. d. 4. Suar. d. 38, 52. Bellar. t. 1. l. 4. c. 6. de verb. Dei, non script. Sylv. verb. oleum, dicit, crimen esse uti oleo veteri.*

Omittere cereum, aut colaphum, non est peccatum mortale. In

In necessitate idem potest esse patrinus, qui fuit in baptismo. Sylv. *l. c. num. 4. in fin.*

Patrinum oportet esse confirmatum. Cajet. *in baptismo, de cons. d. 4.*

Episcopus vincit etiam excommunicationis vinculo ob hæresin, valide potest confirmare. Suar. *l. c. sect. 1. etiam si sit degradatus ex Flor. & Trid.* Unus tantum debet esse patrinus; si tamen plures adhibeantur, omnes contrahunt. Suar. *l. c. q. 72, comm. art. 10. ex c. quam vis de cogn. spirit. l. 6.* Sylv. *l. c. 4.* Tol tamen *l. 2, c. 24, n. 11.* duos patrilinos, ut in baptismo esse posse dicit.

Contractus.

Vide v. *Restitutio, Emptio, Monopolia, Societas, Locatio.*

1. Contractus est actus externus inter duos, vel plures ex consensu ipsorum ultro citroque obligationem pariens, factum in foro conscientiae; modo non sit irritus jure naturæ, vel positivo. *tom. 2. de Contractibus, disp. 3. q. 1. p. 1. n. 1. & 2.*

2. Contractus multiplex est: alius est onerosus, per quem onus imponitur; alius lucrativus, seu gratuitus, quo aliquid promittitur, vel traditur absque pretio, vel mercede: qualis contractus est commodatum, mutuum, precarium, depositum & testamentum. Alius fit in gratiam recipientis tantum, ut mutuum; alius in gratiam tradentis tantum, ut ordinariæ contingit in deposito; alius denique fit in gratiam & bonum utriusque, ut emptio permutatio, pignus, &c. Alius est simplex & absolutus, & alius conditionalis; alius licitus, & alius illicitus; alius perpetuus, alius temporalis; alius nominatus, & alius innominatus. Contractus nominatus est, qui proprium habet nomen, qualis est emptio, venditio, &c. Innominatus dicitur ille, qui proprio caret nomine, & hujus contractus innominati quatuor sunt species, *do ut das*, ut si tu tradas Caio panem, ut tibi tradat vinum; *facio ut des*, ut si servias Caio, ut te doceat; *do ut facias*, ut si labores pro Caio, ut det tibi panem; *facio ut facias*, ut si Caius laboret pro te, & tu pro illo. Alius contractus dicitur bonæ fidei, in quo iudex judicat ex æquo & bono, non ex rigore legis & juris scripti: alius dicitur stricti juris, in quo iudex judicat ex rigore legis & pactionis, adstrictus ad ver-

ba, qualis contractus videtur donatio, aſſecuratio, &c. *i. n. 21.*

5. Alii contractus perficiuntur re ipſa, alii perficiuntur verbis: & requirunt certam verborum formam, qualis eſt ſtipulatio; alii perficiuntur ſolo conſenſu exterius utrimque explicato, qualis eſt venditio: denique alius contractus dicitur pactum nudum, quod conſiſtit in ſola conventionem; & alius dicitur veſtitus, videlicet qui majorem habet firmitatem & robur quàm habeat nudum pactum. Veſtitur autem *re ipſa*, ut ſi ex altera parte ſit adimpletus; *verbis*, accedente forma ſtipulationis: *ſcriptura*, ut ſi quis fatetur ſibi ſatisfactum eſſe; *juramento & ſpecifico nomine contractus*, ut ſint contractus nominati in ſuo genere perfecti. *ibid.*

4. Petes, quid nomine *quasi contractus* intelligatur? Reſpond. intelligi tutelam, curam, negotia, geſta, & alia quæ ſunt ex aliquo officio; ſed non conſurgunt ex vero contractu, *ibid. num. 22.*

5. Error circa ſubſtantiam irritat contractum. Tunc autem error contingit circa ſubſtantiam, quando contrahens credit contractum de una re inire, ſed poſtea comperit aliam eſſe, ut ſi quis credens emere aurum, inveniat eſſe aurichalcum. Idem dicendum de contractu celebrato cum errore comitante. Ille autem dicitur error comitans, qui ſic comitatur contractum, ut nullo modo ad eum inducat; ſed eo ſublato, adhuc contractus fieret. *ibid. punct. 2. §. 1. n. 1. & ſeq.*

6. Error circa qualitatem non irritat contractum, modo non adſit dolus dans cauſam contractui; quia cum huiusmodi errore adeſt conſenſus ſufficiens ad contractum. *ibid. n. 4.*

7. Contractus ſive lucrativus, ſive onerofus, excepto matrimonio, celebratus per dolum provenienteſem ab altero contrahente, invalidus eſt jure poſitivo, ſi dolus dedit cauſam contractui. Et hoc idem dicendum eſt de contractu celebrato per dolum dantem cauſam contractui, adhibitum ab utroque contrahente, quorum uterque ignorabat alterius dolum. Et contrahens qui invincibiliter deceptus eſt à tertio, non tenetur cognito errore ac dolo contractum adimplere, ſi contractus nondum eſt utrimque, vel ex altera parte adimpletus; quia non eſt obligatio adimplendi contractum, quando ſupervenit notabilis mutatio. Quòd ſi deceptus velit perſiſtere in contractu, decipiens non tenetur ante iudicis ſententiam ſtare contractui, & illum adimplere; quia contractus onerofus cenſetur cum hac tacita con-

ditione celebratus, *obligo me, si tute obliges*; deceptus autem non se obligat. verum tamen est decipientem teneri ad restitutionem omnium damnorum, quæ passus est deceptus. *Ibid. § 2. n. 3. & seq.*

8. Contractus celebratus per dolum incidentem in contractum, validus est in utroque foro; adest enim consensus sufficiens ad contrahendum, cum contrahens consentiat, & adhuc consensisset, & contraxisset remoto dolo. *ibid. n. 6.*

Accepta per simulationem, vel hypocrisim, vel per dolum, vel per mendacia sunt restituenda, si dolus versetur circa causam finalem & motivam; secus si tantum circa causam impulsivam; hinc fit, ut qui se finxit pauperem, & obtinuit elemosynam, vel simulavit consanguinitatem, & ob id pecuniam recepit, teneatur restitutionem ipsimet tradentis facere! quamquam multi Doctores velint eam faciendam esse pauperibus. Idem militat in illis quoque, qui ob fictionem aliquam adhibitam admittuntur ad Hospitalem domum, vel ad aliquod collegium. *ibid. 89. & 10.*

9. Contractus celebratus per metum gravem, seu cadentem in constantem virum, aut per metum levem, validus est jure naturæ; adest enim sufficiens consensus & sufficiens voluntarium, cum metus non tollat voluntarium simpliciter, *ex Aristot. 3. Et hic. cap. 1.* & validus est quoque jure positivo, exceptis quibusdam casibus, videlicet contractu matrimonii & sponsalium, dotis promissæ vel solutæ, renuntiationis beneficii factæ per metum, & donationis, ac eorum quæ vim habent donationis. *ibid. §. 3. n. 2. & 3.*

10. Contractus celebratus per metum gravem, aut levem, injustè incussum ab homine, ad extorquendum contractum, irritandus est ad arbitrium ejus qui passus est metum. Excipitur ab hac doctrina matrimonium metu levi celebratum, quod ubi semel validè celebratum fuerit, non potest irritari quidquid dicat Sanchez. *lib. 4. de matrim. d. 17. n. 4.* Idem dic de voto solemnem emisso cum metu levi. Nec refert ad rescissionem contractus, quod metus incussum fuerit à tertia persona, absque participatione alterius contractantis. *ibid. n. 4. & 5.*

11. Contractus celebratus per metum juste incussum ad extorquendum consensum, non est rescindendus; propterea à acquisita in contractu celebrato per metum gravem, aut levem, justè incussum, non sunt restituenda; secus dicendum

dum de extortis per metum injustum, nam cogens fecit injuriam tradenti. *ibid. n. 6. & seq.*

Adverte autem hanc esse differentiam inter metum gravem, & levem, quod pro metu gravi datur actio in foro externo ad rescindendum contractum; non verò dari solet pro metu levi, ne multiplicentur lites. *ibid. n. 8.*

12. Contractus celebratus sine solemnitate substantiali requisita à jure, invalidus est non solum in foro externo, verum etiam in foro conscientiae, excepto testamento causa pietatis factò Hinc sequitur invalidam esse alienationem, & invalidos esse pupillorum contractus celebratos sine auctoritate curatorum, vel tutorum, de re immobili vel pretiosa, quæ servando servari potest. Item accepta per contractum gratuitum sine solemnitate substantiali celebratum, restituenda esse, etiam ante judicis sententiam Item heredem institutum in testamento minus solemnni, id est, sine solemnitate requisita à jure, non esse tutum in conscientia, retinendo hereditatem invitis heredibus venientibus ab intestato; quamvis multi Doctores oppositum magna cum probabilitate sentiant. Item eum, cui res aliqua legato relicta fuit in testamento minus solemnni, non posse uti occulta compensatione, vel eam clam surripere, quando eam alia ratione consequi non potest. Item heredem non teneri in conscientia adimplere voluntatem testatoris, quam ipse testator expressit in schedula scripta, vel scripta propria manu; nam illa scriptura non habet vim testamenti, cum careat solemnitate requisita à jure. Habet tamen illa scriptura vim testamenti inter liberos. *ibid. punct. 3. num. 2. 3. 4. 9. 10. 13. & 14.*

13. Dicitur est paulò antè ad valorem testamenti causa pietatis facti non requiri solemnitatem juris civilis, sed sufficere solemnitatem juris gentium; consequenter dicendum, est, ergo feminam posse adhiberi in testem in testamento ad causas pias, cum illa jure gentium possit esse testis. *ibid. n. 15.*

14. Petes, an testamentum principaliter causa pietatis factum sine solemnitate requisita à jure, validum sit etiam quoad legata profana in eo contenta, & relicta laicis ex nulla causa pietatis? Respond. invalidum esse quoad hujusmodi legata profana, cum hæc subsint dispositioni juris civilis. At valida erunt legata pia contenta in testamento invalido ob defectum solemnitatis requisitæ à jure: quia non irritantur à jure

à jure Canonico, cum non constet ubinam irritentur; neque à jure civili, cum jus civile non habeat potestatem circa causas pias. *ibid. n. 18. & seq.*

15. Contractus seu dispositio facta ob causam finalem subsistente causa finali, valida est; ea verò non subsistente invalida est; nisi aliter constet, vel rationabiliter præsumatur de voluntate disponentis. Et hoc verum est, etiamsi adfit error vel dolus circa causam impulsivam. Similiter validus est contractus & dispositio modalis, seu facta sub modo quamvis modus non adimpleatur; dummodò tamen modus non sit contrarius substantiæ contractus, & dispositionis cui apponitur. *ibid. punct. 4. n. 2. & seq.*

16. Donatio facta sub modo, potestne revocari, si donatarius non adimplevit modum, sub quo facta fuit donatio? ex gr. Cajus qui dono dedit centum Titio ut nuberet, potestne revocare rem donatam, si Titius non nupsit? Non potest: modo ille modus sub quo facta fuit donatio, non fuerit causa finalis, sed solùm impulsiva; cum valida sit dispositio non subsistente causa impulsiva, modò finalis causa subsistat. *ibid. n. 5. & seq.*

17. Error in demonstratione per se non vitiat dispositionem, seu contractum; modò demonstratio non apponatur per modum conditionis, vel causæ, & error demonstrationis non refundatur in errorem substantiæ, vel personæ; sed modo constet de re & de persona; quia hujusmodi error est tantùm error qualitatis, unde valent hæc dispositiones: *Dono tibi meum prædium Sempronianum, quod est quinquaginta jugerum*, etiamsi prædiũ illud non constet tot jugeribus. Item *dono tibi meum equum, quem emi in regno Neapolitano*, etiamsi equus verè non sit emptus in regno Neapolitano, &c. *ibid. n. 6.*

18. Contractus & dispositio facta sub conditione honesta & possibili de futuro eventu incerto adjecto in ipsomet contractu, non est valida ante conditionis eventum: postea verò conditionis eventu, valida est, ac si ab initio fuisset purè & absolutè celebrata; neque novus consensus requiritur secus si conditio sit turpis, aut impossibilis. *ibid. n. 10.*

19. Quæres, an contractus celebratus sub conditione tacita, vel sub hac conditione, *si Deo placuerit*, vel, *si Deus voluerit*, suspendatur & reddatur conditionalis? Respond. negativè, si intelligatur de voluntate, qua Deus omnia que fiunt, permittit: secus si dicatur, *si placuerit Ecclesie*; contra

Quis enim censetur factus sub conditione approbationis faciendæ ab Ecclesia. *ibid num. 11. & 12.*

20. Qui donavit, vel disposuit de re aliqua sub conditione, non potest, seclusa donatione causa mortis, ante conditionis eventum resilire à donatione, vel dispositione: verum quidem est, liberaliter promittentem posse resilire ante acceptationem. *ibid. num. 13.*

21. Quilibet usu rationis præditus potest contrahere; modo habeat administrationem bonorum de quibus contracturus est, nec à jure impediatur: hinc sequitur, amentes, furiosos, & infantes, qui nondum rationis usum attigerunt, non posse validè contrahere: neque prodigum, cui prohibita est à jure administratio suorum bonorum; neque pupillum, qui nondum pervenit ad decimumquartum annum, sine licentia tutoris; & minorem, qui nondum pervenit ad vigesimum quintum annum, posse jure communi absque licentia curatoris contrahere: verum tamen est tam pupillum quàm minorem posse sine licentia tutoris aut curatoris contrahere in sui commodum, sibi que alios obligare; modo minor contrahat cum majore, non verò cum minore gaudente simili privilegio *ibid. punct. 5. n. 1. & seq.*

22. Imò alienatio rei immobilis, vel etiam mobilis, quæ servando servari potest, facta à pupillo, vel à minore, etiam de licentia tutoris & curatoris, invalida est non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientie; nisi facta sit de licentia judicis, & ex justa causa: qualis causa censetur solutio debitorum. Neque curator potest contrahere cum minore, nisi palam & bona fide contrahat; prohibetur enim contrahere; sicut etiam prohibetur tutor cum pupillo, *l. pupillus, ff. de inst. tut. ibid. n. 7. & 11.*

23. Petes, ex qua culpa contrahentes teneantur ad restitutionem in contractibus? Quando contractus est in utilitatem solius accipientis; accipiens tenetur ad restitutionem damni secuti: non solum ex dolo, seu calliditate, vel lata & levi; sed etiam ex levissima culpa, excepto precatio. Quare si quis ab alio commodatum sibi librum accepit, qui furto sublatus est, tenetur ad restitutionem non solum si sublatus est ex dolo, vel lata, vel levi culpa; sed etiam ex levissima culpa ipsius accipientis. Quando verò contractus est in utilitatem solius dantis, accipiens tenetur solum de dolo & lata culpa. Quòd si contractus sit in utilitatem utriusque
contra-

contrahentis, accipiens tenetur tantummodo de dolo, laevi; non verò de levissima culpa. Ex dictis sequitur illi cui aliquid locatur, teneri de lata & levi culpa; quia contractus locationis celebratur in gratiam utriusque contrahentis; & cum cui traditur depositum, teneri solum de lata cum depositum fiat in gratiam solum deponentis; modo pro deposito non tradatur pretium: & famulos, quibus in officio & stipendio specialiter incumbit cura custodienda rei domesticæ; teneri ad restitutionem damni ex sua levi culpa secuti. Idem dic de artificibus, venditoribus, cultoribus rei alienæ, conductis mercede. *ibid punct. 6 n 5. & seq.*

24. Quando res aliena perit casu fortuito, accipiens non tenetur ad restitutionem; sive rem acceperit in sui, sive in alterius contrahentis, sive in utriusque utilitatem (excepta tamen pacto, culpa, & mora,) quia res non perit ipsius culpa. *ibid. num 21.*

25. Contrahentes tenenturne ad restitutionem, quando in periculo amittendi res suas, negligunt alienas, ut proprias conservent? Resp. Tenentur, quando tenentur ex levissima culpa, ut accidit in accommodato: neque possunt negligere res alienas, ut conservent proprias æqualis vel minoris pretii; secus si res propriæ sint magis pretiosæ, quàm res alienæ & alienæ magis quàm propriæ. *ibid. n. 22. & seq.*

Quibus competat restitutio in integrum.

26. Minoribus, iis videlicet, qui nondum expleverunt vigesimum quintum ætatis annum (hi enim minores appellantur juxta jus commune) conceditur beneficium restitutionis in integrum, quando se aliquo contractu non mediterriter laesos deprehendunt, idque sufficienter probant; aut vendiderunt rem minori pretio quàm alioquin vendere deberet; nisi fortè adhibuerint juramentum, sine vi, dolo & metu factum in ipso contractu; vel ante, vel post contractum, quo juraverint se non usuros remedio restitutionis; aut modò non impetraverint veniam ætatis à Principe, vel non ratificaverint contractum completis viginti quinque annis. *ibid. punct. ult. num. 2. & seq.*

27. Hoc privilegio restitutionis in integrum gaudere possunt minores spatio quatuor annorum post elapsum vigesimum quintum annum, quatuor videlicet annis postquam

facti fuerunt maiores. Neque illi, quibus ex jure municipali, seu ex statuto diminuitur ætas, possunt petere restitutionem in integrum pro contractibus celebratis à 20. usque ad 25. annum, quia alioqui frustra censeretur factus major *ibid. num. 11 & 12.*

28. Et non solum in contractibus per seipsum celebratis hoc privilegio restitutionis in integrum (etiam fructuum) uti possunt minores, & eorum hæredes; verum etiam in contractibus celebratis per tutorem, vel curatorem, etiam si contractus initus fuerit cum decreto judicis, modò non fuerit obtenta ætatis venia; secus si minor celebraverit contractum obtenta à Principe, vel Regiis senatoribus venia ætatis; nam ea obtenta reputatur major. *ibid. n. 13. & 14.*

29. Privilegio restitutionis in integrum non solum gaudent minores, Respublica, & loca pia; verum etiam homines rudes, & mulieres quæ ignorant jura. Præterea filii familias quoad contractus onerosos vel lucrosos de licentia patris celebratos, ad sororum dotes, vel ad alias causas. Gaudet etiam milites pro eo tempore quo militiæ operam navant. Præterea qui absunt ad negotia Reipublicæ gerenda, ne contra eos currat præscriptio. Denique gaudent etiam Principes quoad bona fisci, quæ reputantur bona reipublicæ. *ibid. n. 25.*

A D D I T I O.

Regula, *Licetum est contrahentibus se invicem decipere. l. in causa 2. §. in pretio, ff. de minor.* procedit, quando fraus est citra dimidium justipretii; secus si ultra dimidium: hocque ab humanis legibus permissum ad tollendas litigiorum occasiones; lege tamen divina omnia æqualiter justequè mensuranda esse perspicuum est. D. Thom. 2. 2. q. 77. ar. 1. ad 1. apud Thomam ser. reg. 86.

In contractu qui Italice dicitur *scammessa*, Hispanice *Apuesta*, Latine *sponsio* cum scilicet de re aliqua alius ait, alius negat, proposito pretio ei, qui deprehendetur verum dixisse, non tenetur restituere, qui rem certò sciebat, si dolus absuit. vid. Med. de reb. restitut. q. 22. De hoc contractu vide Lopez lib. 2. c. 15. Garz. cap. 42. Molin. d. 5 08. Si dolus, Contractarium Garz. Mol. loc. cit.

Quæres: An res non necessaria, ut canes, accipitres, gemma, & aliæ res pretiosæ pluri vendi possunt, quam valeant. Sot. lib. 6. de jur. & just. q. 3. a. 3. secutus Victor. & Joan. Med.

Med. de reb. restitut. q. 32. docent licitè posse remota vi, fraude, & dolo.

Si quæras ab eis, cur necessaria non possint eadem conditione vendi carius. Respond. etiam si sine fraude & dolores necessariae pluris vendantur, quàm valeant, tamè ei venditioni semper conjunctam esse quandam vim, vel coactionem. Verùm contraria sententia est probabilior, quam tradit Cajet. q. 77. S. Thom. 2. 2. & in opusc. ult. tom. 1. resp. 2. & est communis. Probat ex *l. pretia rerum. ff. ad leg. Falcid.* ubi dicitur, pretia rerum non ex affectu cujusquam, sed ex communi estimatione sumi debere. 2. Probat ratione, quia emptio & venditio, ut tales, necessariò requirunt æqualitatem rei ad rem: ergo res tanti vendi debet, quantum valet.

Obiicit Sot. axioma juridicum, ad *l. querebatur. ff. ad leg. Falcid.* tantum valere rem, quanti vendi potest; nempe conclusa vi, fraude dolo, quod maximè debet intelligi de re non necess. Resp. sensum axiomatis esse secundum Sylvest. in emptio q. 9. & Navar. c. 23. n. 80. rem tanti valere, quanti vendi potest, secundum communem estimationem, huc quanti vendi potest, pretio infimo, medio, & rigoroso, communiter currendo. Resp. 2. Etiam in rerum non necessariarum venditione esse vim aliquam, & coactionem fermè conjunctam, si carius vendantur. Dixi fermè, quia si interveniat donatio, ut quando Principes, & homines locupletes magno res parvas ducunt, ut videantur aliquid donare, & ut rem gratam faciant venditori. tum licitus esset contractus, & hoc sensu sententiam Sot. & Med. approbat Gregor. de Val. 2. 2. disp. 5. q. 20. p. 2.

Quæres: An licita sit olla fortunæ, *Ein Glücks-hafen* qua homo sæpè exigua pecunia in ollam collata, lucratur magni pretii rem. Conrad. putat esse illicitam, quia nulla est æqualitas inter rem & pretium; verùm probabilius, esse licitam, 1. quia nulla lege divina, vel humana prohibetur; 2. quia passim in Germania ab omnibus magistratibus permittitur, & viri etiam honesti & docti ea utuntur; 3. quia in jure civili, *l. si jactum retis emero. ff. de contr. empt.* contractus emptionis probatur, ut licitus: quomodo quis emit certo pretio. quidquid jactu retis vel piscium, vel avium est capturus. Legendus de hac re Joan. Briardus Doctor Lovan. quodlib. 5. post quodlibeticas Adriani, & Pet. Binsfeld, *lib. de usur. in navigari, q. 4.* Quæres

Quæres : Quot modis possit mercatura reddi illicita. Resp. cum Sot. *lib. 6. de justit. q. 2. art. 2.* multis modis reddi illicitam. 1. ratione materiæ, ut si res sacra vendatur, vel si vendatur venenum. *l. quod sapè ff. de venen.* ubi tamen additur si mixtum cum alia materia, fiat antidotum, posse vendi. 2. ratione personarum, ut si mercatura à clericis exerceatur, vel monachis. 3. ratione emptorum, ut si quis furioso vendat gladium, vel Turcis arma. 4. ratione temporis, ut si quis die festo negotiatur. 5. ratione loci, ut in templo, ut habetur in *cap. decet domum Dei. de immunit. Eccles. in 6.* Unde *Matth. 21.* Christus ejecit ementes & vendentes è templo. Cajetan. tamen *in opusc.* non putat esse peccatum negotiari in templo, per colloquia tantum, si divinum non celebretur officium Sed restituit Sot. *l. c. & Med. q. 31. de reb. rest.* id negant, licet addat Sot. si sine scandalo fiat, non fore peccatum mortale. 6. ratione modi, ut si mercatura fiat per usuras, mendacia, fraudes, monopolia.

Quæres: An liceat vendere eas res, quibus emptores possint abuti, ut chartas lusorias, aleas, larvas. *Navarr. c. 3. nu. 2. & Med. l. c. & Gregor. de Valent. disp. 5. q. 10. p. 3.* putant, non esse licitum, & peccare mortaliter, qui ejusmodi res omnibus indifferenter vendunt. Ludovic. quoque Pal. *in casib. Bononiensib. cas. 48.* & Lopez *lib. 1. de contract. cap. 8.* eadem de causa putant mortaliter peccare hospites, & cenopolas, qui vendunt vinum iis, quos sciunt se eo solere inebriare. Contraria sententia est Cajet. *2. 2. q. 169. ar. 2.* Franc. Victoria, Bannes *in q. 77.* Thom. *ar. 4. dub. 1.* Cum quibus resp. 1. quando merces, vel res vendendæ, secundum se sunt adia-phoræ, ut quis abutatur, vel non, posse licitè vendi quibusvis. Ratio est, quia non est mercatoris officium inquirere in mo-res aliorum, & judicare, quis hac, vel illa re sit abusurus; sed merces suas justo pretio indicare. 2. Quia alioqui culpandi essent factores, qui vendunt vestes curiosas; & coci, qui delicatos cibos vendunt, quibus multi ad luxuriam abutuntur. Respond. 2. Posse etiam res easdem licitè vendi, etiamsi mercator certò sciat, emptores iis abusuros. Et probatur. 1. Quia ille non tenetur peccatum impedire aliorum, non vendendo rem suam. Ergo, nec peccant vendendo. Probatursi antecedens, quia nemo tenetur amittere suum commodum temporale, ad procurandam salutem proximi sua culpa peccantis. Conseq. patet; Quia nullo modo con-

K

sentit

fentit ille peccato alieno. Non directè, quia non vendit, nec alter peccet; nec indirectè, quia non tenetur impedire alterius peccatum: ille enim indirectè consentit, qui non impedit, cum tenetur. Probat 2. Licitum est vendere, & locare domum meretricibus, quas certò scimus in ea scortaturas, ut etiam Navar. concedit, qui etiam admittit opifices & sartores non peccare, qui vestes vel calceos pretiosos meretricibus vendunt, quibus sciunt eas peccaturas. 3. Probat, Licet Judæis vendere agnum, quo scimus eos usuros ad sacrificandum, ut concedit Lopez, & alii, ergo.

Quæres: An monopolium sit licitum. Respond. Monopolium tribus modis posse institui. Primus est, cum instituitur publica auctoritate magistratus, vel Principis; ut cum, v.g. Magistratus vult ab uno tantum œnopola vendi vinum in parvo oppido aliquo, ut facilè illud possit haberi, vel cum vult certum pharmacum ab uno tantum pharmacopola vendi, ne vendantur pharmaca vitiosa: sic Imperator concedit privilegia typographis, ut ipsi soli ad certum tempus imprimant librum aliquem; ne ex impressione sua patiantur jacturam. Secundus modus est, quando mercatores inter se conspirant, & pro arbitrato suo inter se decernunt, ut omnes tanto vel tanto pretio merces suas vendant; qui vocantur monopolæ, quia omnes simul habent quasi rationem unius mercatoris. Tertius modus est, quando unus, vel alter, omnes unius generis merces cœmit, ut omnes deinde ab ipso emere cogantur. Respond. ergo. Primum modum ordinariè esse licitum, quia illa privilegia conceduntur præcipuè ad utilitatem reipubl. Unde si cederent aliquando in damnum reipubl. tunc ille modus quoque redderetur illicitus, & peccaret tam is, qui ejusmodi privilegium importat, quàm qui sciens prudensque illud concedit, ut docet Navar. cap. 23. num. 92. & Lopez lib. 1. cap. 12. quare typographi nostri, qui libros, quorum est usus quotidianus in Scholis, cum privilegio Cæsareo imprimunt, non excusantur à peccato, quia hujusmodi impressio cedit in damnum Reip. literariæ; nam & tales libri carissimè emuntur, & difficulter haberi possunt. Resp. 2. Secundum, & tertium modum ordinariè esse illicitum; 1. quidem, quia reprehenditur à SS. Patribus, ut Ambros. lib. 3. offic. c. 6. & Aristot. l. 2. Polit. c. 6. dicit, primum inventorem monopolii esse urbe pulsam. 2. Quia monopolæ in jure civili gravissima pœna, exilij nempe

pe & privatione bonorū plectuntur, *Cod. de monopol. 3.* Quia
 ejusmodi monopoliā ferè fiunt cum maximo damno empto-
 rum, propterea quod pretia rerum pro libito ipforum de-
 cernuntur. Accedit, quod pessimo ferè fine instituantur, ut
 vid. caritas annonæ inducatur, ut sic carius suas res vendere
 possint. Unde rectè *Sot lib. 6. q. 2. art 3* & *Bann. in quest 77.*
S. Thom. art. 1. licere tunc emptoribus, ad redimendam vexa-
 tionem, vel ad vim vi repellendam monopolium apponere
 monopolio, id est, conspirare inter se, de non emendis mer-
 cibus, nisi pretio viliori. Dicitur ordinariè esse illicitos; nam
 si frant ad utilitatem Reip sicut fecit Patr Josephus, *Gen. 40.*
 possunt esse licita, docet *Innoc. in c. signif. tit de pign. & Ant.*
p. 2. tit. 10. 23. Qua de causa *Arist.* laudat eorum industriam,
loco nimirum cit., qui excogitarunt monopolia.

Contritio, & Attritio.

Vide v, *Peccatum, Pœnitentiã.*

1. Contritio est actus charitatis, quo quis detestatur om-
 nia sua peccata, super omnia detestabilia; quatenus sunt ma-
 lum aut offensa Dei, aut quatenus sunt contra amicitiam &
 voluntatem Dei, cum proposito non peccandi in futurum.
 Est actus elicited ab habitu charitatis, non autem ab habitu
 pœnitentiæ; includitque actum dilectionis implicite. *tom. 1.*
de Pœnitentiã Sacramento, disp. 5. quest. 5. sect. 1. punct. 1.
num. 1 & 2.

2. Contritio propriè sumpta necessaria est necessitate
 præcepti; non autem medii, cum sine ea possit justus repen-
 tē moriens salutem obtinere. Obligat præceptum contritio-
 nis per se, & vi propria in periculo mortis corporalis, vero,
 vel putato, quando non adest copia Confessarii. Neque te-
 netur peccator statim post mortale peccatum, aut omnibus
 diebus festis actum contritionis elicere. Similiter non tene-
 tur homo contritionem habere de peccatis omissis, quoties
 memoriæ occurrunt; cum præceptum contritionis & pœ-
 nitentiæ sit affirmativum, quod obligat tantum pro certo
 tempore. *ibid. punct. 2. n. 4 & seq.*

3. Attritio est dolor quidam imperfectus, quo quis dete-
 statur peccatum ob timorem gehennæ, aut aliarum pœna-
 rum;

rum: differt à contritione, quod contritio sit dolor perfectus, attritio verò imperfectus; deinde habent diversa motiva, videlicet attritio detestationem peccatorum ob metum gehennæ; contritio verò detestationem peccatorum, quatenus sunt offensa, seu malum Dei. Attritio efficax & universalis necessaria est ad suscipiendum pœnitentiæ sacramentum cum fructu, cum attritio sit pars materiæ sacramenti, requiraturque ad recipiendum pœnitentiæ sacramentum cum fructu, propositum non peccandi de cætero. *ibid. punct. 3. n. 1. & seq.*

4. Objectum materiale contritionis est peccatum commissum, & nondum dimissum, seu id quod facit inimicum Dei, seu quod est malum, & offensa Dei. Potest homo contritionis actum elicere de his, quæ trahunt ad peccatum, si-ve de occasionibus peccatorum; non potest tamen contritionem elicere de peccato dimisso ut sic; nam secundum hanc rationem, peccatum non facit hominem Deo inimicum; peccatum item dimissum, quod ignoratur an sit dimissum, potest esse objectum materiale contritionis, sicuti & peccata venialia, sunt enim aliqua offensa Dei. Peccatum alienum non potest esse objectum contritionis; cum peccata aliena non efficiant nos inimicos Dei. Neque possumus per actum contritionis unum peccatum mortale detestari, non detestando cetera. *ibid. punct. 4. n. 1. & seq.*

5. Objectum formale contritionis est peccatum, ut est offensa Dei, vel malum Dei, vel contra amicitiam Dei; per hoc enim distinguitur actus contritionis ab actibus aliarum virtutum. *ibid. n. 11.*

6. Ad delendum singula peccata, non requiruntur singulæ contritiones, sed unus actus sufficit ad delenda omnia; neque tenemur eodem actu detestari mortalia & venialia, quia non tenemur eodem actu detestari peccata, ut sunt gravis, & ut sunt levis offensa Dei; possumusque remissionem mortalium obtinere, non obtenta remissione venialium; pro quorum remissione perfectior actus requiritur, quàm ad delenda mortalia. Neque per gratiam habitualem ut sic, delentur peccata venialia; alioqui homo justus habens gratiam habitualem, semper carceret peccatis venialibus, quod non est admittendum, cum septies in die cadat justus. *ibid. punct. 5. n. 1. & seq.*

7. Nullus potest justificari per actum contritionis, nisi

cognitio

cognitionem aliquam, saltem confusam, peccatorum commissorum habeat; cum contritio sit actus voluntatis, quæ non fertur in incognitum. In his tamen casibus, quando post contritionem faciendæ confessio, quando existat obligatio restitutionis faciendæ, & quando remedium aliquod assumendum est ad evitanda peccata, his, inquam, casibus, pœnitens tenetur peccata sua distinctè recogitare; justificatus tamen, qui contritionis actum elicit unius tantummodò peccati, cujus solum recordatur, factò diligenti peccatorum examine. *ibid. punct. 6. n. 1. & seq.*

8. Ad contritionem, & consequenter ad justificationem non requiritur certa intentio, ut contritio sit magna intensivè, intentione physica; sed sufficit quælibet contritio, licet remissa, modò sit vera contritio. Quare sufficit ut pœnitens in genere detestetur peccata super omnia detestabilia in cõmuni. Nec requiritur ad contritionem, ut pœnitens credat se non ampliùs peccaturum mortaliter; sed sufficit ut habeat propositum non ampliùs peccandi in futurum. *ibid. punct. 7. n. 3. & punct. 8. n. 3.*

9. Petes, an sicut homo de potentia Dei absoluta justificari potest sine ullo pœnitentiæ actu, ita etiam justificari possit sine ulla reali mutatione, id est, sine infusione alicujus doni impossibilis peccato, sed sola Dei voluntate? Resp. peccatorem justificari non posse, absque reali mutatione, seu infusione alicujus doni peccato impossibilis. *ibid. punct. 9. n. 3.*

A D D I T I O.

Qui se mallet mortuum fuisse, quàm Deum offendisse, videtur contritus, si procedit ex motivo charitatis. Vide Lopez p. 1. c. 10.

Attritio, id est, imperfectus de peccato dolor, sufficit cum Sacramento pœnitentiæ ad gratiam impetrandam. Vide Concilium Tridentinũ. *sess. 14. cap. 4. Navarr. cap. 1. n. 37.*

Dolor sufficiens est, cum Sacramento dolere, quòd non satis doleas; itemquæ displicentia de peccato, cum proposito cavendi, etiamsi displiceat ob timorem pœnæ a peccati turpitudinem; modò adsit spes veniæ. Vide Navarr. *l. c. n. 18. c. 10. n. 4.*

De singulis peccatis singulas contritiones necessarias esse, dixerunt veteres, Alenf. Rich. Palud. vide Sot. *l. c. Val. tir.*

4. d. 7. q. 8. p. 6. docet, secundum speciem, & numerum omnia peccata memoranda, & de iis sic consideratis dolendum, vel pluribus, vel uno contritionis actu. Ab hoc non videtur discrepare Sot. l. c. conc. 3.

Peccati detestatio supra omne detestabile, vera contritio est; etiamsi non sit tam intensa, quam temporalis mali detestatio esset. Contritio aliquando tanta esse potest, ut omnem poenam auferat. Attritio quo major in sacramento eo majori gratiae infusione reficitur animus.

Contumelia.

Vide v. Detractio.

1. Contumelia est injuria, qua obijcitur alteri crimen, vel alius defectus in ipsius praesentia; & idcirco est peccatum mortale, gravius detractio: aliquando tamen est veniale, si per jocum vel per correctionem, &c. fiat, non cum intentione laedendi ipsorum honorem. Contumelia, illusio, derisio, & subsannatio contra parentes habet specialem malitiam tom. 2. de restitutione in particulari, disp. 2. q. 5. punct. 1. num. 2. & seq.

2. Derisio est actus quo honor alterius verbis, vel factis violatur cum intentione confundendi proximum, & inducendi erubescantiam. In derisione major contemptus reperitur, quam in contumelia; ideo est gravius peccatum, & semper mortale, quoties adest intentio graviter confundendi proximum, vel quando manifestatur grave vitium, vel quando derisus graviter tristatur. lb. n. 9. & seq.

3. Honor ablati non solum restituendus est apud ipsum dehonorem, verum etiam apud quos honor illius immixtus est; alioquin honor injuste ablati, non restitueretur ad aequalitatem lb. punct. 2. n. 2.

4. Ex honoris omissione praecisa alia circumstantia variante, v. g. contemptus, vel contumeliae, vel scandali, non confurgit obligatio restituendi. Restituitur autem honor ablati, vel dando locum honorificum, vel adhibendo ad mensam, propinando, &c. vel petendo veniam; quamquam petitio veniae non est necessaria, quando restitutio honoris aliter fieri potest. lb. n. 3. & 4.

A D D I T I O.

Omnes contumeliæ, id est, injuriæ publicæ contra honorem, ejusdem sunt speciei: itemque omnes detractiones, id est, occultæ contra famam injuriæ.

Contumelia ex genere gravior est furto: potest tamen furtum ex quantitate gravius esse; quia læditur honor, qui divitiis potior. *Cajetan. vers. contumelia.*

Correptio.

Vide v. *Charitas.*

Correptio.

Corripere tenetur quisque proximum de peccato, quod certo scit esse mortale, si potest sine suo gravi damno, & credat profuturum, nec illum sine correptione emendandum, estque tempus corripiendi opportunum. *Navar. c. 24. n. 12. Fu. corrept. nu. 2.*

Cum periculo mortis non teneri privatum ad corripiendum, & prælatum sub veniali, dixit *Vict. Cajet.* & alii contrarium docent, & *Bannes 2. 2. quæst. 33. art. 3. dub. 4.* si peccator sit in fine vitæ.

Correptionem omittere aliquando virtus charitatis, aliquando p. m. interdum peccatum veniale. *Sot. concl. 5.*

Culpa.

Culpa lata dicitur, quam homines communiter vitare solent; levis, quam diligentes; levissima, quam diligentissimi. Vide *Sylv. culp. n. 1. Garz. c. 2. n. 14. de cont. Navar. c. 17. n. 178. P. N. l. 2. c. 1. n. 52.*

Si contractus sit in favorem unius solùm, tenetur is de culpa, etiam levissima, alter verò solum de dolo; si autem in favorem utriusque, uterque tenetur de levi. Ita *Navarr. cum Jureconsultis*, quod servandum in foro exteriori, alioqui in conscientia nemo tenetur, nisi de culpa lata, seu mortali: nisi aliud sit conventum; aut res esset ejusmodi, quæ exactam requireret diligentiam, & per negligentiam læsa esset; quam

quam in iis multum potest prudentia & æquitatis ratio
quid sit agendum, decernere. Leg. Sylv. *commodatum*.
Nav. l. c. n. 179.

Culpa lata) vide Covar. i. p. c. 6. §. 8. m. 12. epit. Aug. *Culpa*
6. Adrian. *de restit.* Covarr. in *clem. si furiosus*. 2. p. §. 4. n. 9. di-
cens, homicidium ex levissima culpa per commissionem in-
ducere irregularitatem, videntur sentire, teneri quempiam
ad restituendum, ex levissima culpa. Sylv. *rest.* 2. q. 4. *mercator*
de rest. c. 5. P. N. l. c. c. 1. n. 57. *de dol. & cont.*

Curiositas.

Mortale peccatum est, velle videre id, aut scire, cujus ve-
fio, aut scientia in periculum peccandi mortaliter inductu-
ra creditur. Leg. Nav. c. 23. n. 24. Tol. *de 7. peccat. m. c.* 12. n. 7.
Cajet. *vers. curiositas*. & alios.

Addit:) Velle scire in mortalem finem, vel quæ sub p. m.
vetita sunt; vel explicata in confessione, crimen m. est. Na-
var. Tol. l. c.

Custos.

Custos de damno tenetur, quod non impedit, cum possit.
Nav. cap. 17. n. 136. Salon. *quest.* 62. art. 7. *contro v.* 5. *concl.* 3.
vid. Sylv. *custos*, 1.

Cum fures à culpa excusantur, ob necessitatem, potest
custos dissimulare. Nav. l. c. n. 122.

Custos tenetur de lata & levi culpa, non de levissima.
Bannes *quest.* 62. art. 7. *contra Ard.*

D.

Damon,

Vide v. *Adjuratio*, *Divinatio*, *Maleficium*, *Observatio va-*
na, *Superstitio*.

Debitor.

Vide v. *Restitutio*

De b.